LETTURE LATINE GRADUATE

tratte dagli ottimi Scrittori

E PROPOSTE

AGLI ALUNNI DEL GINNASIO INFERIORE

SECONDO IL DISEGNO

del libro **Flores et Fructus** ecc.

DEL DOTT. [illegible]AGNER.

MILANO
VALENTINER & MUES
[illegible]

BIELLA
GIUSEPPE AMOSSO
TIPOGRAFO EDIT[illegible]

1871.

LETTURE LATINE GRADUATE

tratte dagli ottimi Scrittori

E PROPOSTE

AGLI ALUNNI DEL GINNASIO INFERIORE

SECONDO IL DISEGNO

del libro **Flores et Fructus** ecc.

DEL DOTT. WAGNER.

MILANO
VALENTINER & MUES
LIBRAI-EDITORI.

BIELLA
GIUSEPPE AMOSSO
TIPOGRAFO-EDITORE.

1871.

INTRODUZIONE

BREVI SENTENZE

1. Soggetto e predicato.

Ego disco.
Tu doces.
Rex regit.
Nos audimus.
Vos videtis.
Pueri ludunt.
Audio.
Vocas.
Pater monet.
Scribimus.
Dicitis.
Reges regunt.
Mater amat.
Alauda canit.
Lego.
Spes est.
Honores placent.
Rusticus arat.
Auditis?
Puer legit.
Laudas.
Murus stat.
Liber docet.
Deus videt.
Speramus.
Res placet.
Manus dat.
Fata vocant.
Labor vincit.
Canis currit.
Cadunt umbrae.
Pugna nocet.
Terret mors.
Pisces nant.
Crescit amor.
Manus tangunt.
Sol lucet.
Tempus fugit.
Venit hiems.
Aves volant.

Mors venit.
Fugit umbra.
Latrant canes.
Aqua fluit.
Studia delectant.
Fugiunt nubes.
Praecepta monent.
Exempla trahunt.
Crescit arbor.
Ego eram.
Aquila volabat.
Musa canebat.
Nox erat.
Fulgebat luna.
Dormiebas.
Milites pugnabant.
Arma sonabant.
Ego videbo.
Fraus laedet.
Deus dabit.
Tu bibes.
Uret ignis.
Crescent arbores.
Tempus erit.
Clamabis.
Tempora venient.
Cantabit viator.
Bella erunt.
Canemus.
Pendebit uva.
Venient juvenes.
Vidi ego.
Troja fuit.
Fortuna dedit.
Prata biberunt.
Nocuit culpa.
Cecinit avis.
Non ego juravi.
Satis lusisti.
Veni, vidi, vici.
Bellum fuerat.
Fugerat umbra.
Venerat hostis.
Pueri legerant.
Dixeras.
Cicero scripserat.
Annibal juraverat.
Dentes momorderant.
Ego risero.
Venerit hora.
Canes cucurrerint.
Fugerit aetas.
Pomum ceciderit.
Nos ambulaverimus.
Milites pugnaverint.
Laboret manus.
Faveat fortuna.
Sol fulgeat.
Veniat tempus.
Philomela cantaret.
Troja staret.
Pomum penderet.
Luna micaret.
Oculus viderit.
Latraverint canes.
Domus steterit.
Arbores creverint.
Miles pugnavisset.
Lepores cucurrissent.
Canes momordissent.
Vox auditur.
Laudor.
Vincitur hostis.
Tempora mutantur.

115 Vinum bibitur.
Doceris.
Carmina leguntur.
Flos carpitur.
Fabula narratur.
120 Ducuntur pueri.
Aqua fundebatur.
Pandebantur portae.
Saxa volvebantur.
Oppidum defendebatur.
125 Verba legebantur.
Bella parabantur.
Pectemur.
Domus aedificabitur.
Narrabuntur fabulae.
Epistola mittetur.
130 Culpabimini.
Littera scribetur.
Naves mersae sunt.
Datae sunt leges.
Sparsa erant folia.
135 Hostes victi erant.
Missi erimus.
Vinum bibitum erit.
Praemia dentur.
Panis ematur.
140 Pecunia solvatur.
Veherer.
Tegeretur caput.
Victus sit miles.
Hostes capti essent.

2. Aggettivo attributivo.

Garrula lingua nocet.
Fugit invida aetas.
Fugaces labuntur anni.
Solvitur acris hiems.
Fugit irreparabile tempus. 5
Venit hiems glacialis.
Ver assiduum in Italia floret.
Silva vetus stabat, nulla violata securi.
Culpa tua patet.
Dira parantur bella. 10
Nulla mora est.
Dum nox atra sinit, tu fugis.
Dubium geritur bellum.
Manus impia saevit.
Quinque sunt zonae. 15
Lapidosi surgunt montes.
Omnis spes in Deo est.
Sidera multa micant.

Flava stillabant mella.
Nemus omne virebit.
Jucundi acti labores.
Jam venit aestas torrida.
Venit post pluvias una serena dies.
Amicus certus in re incerta cernitur.
Senectus ipsa est morbus.

3. Accusativo oggetto.

Deus regit mundum.
Comitas conciliat animos.
Nauta secat mare.
Spes alit agricolas.
Autumnus fruges effundit.
Urit ignis domos.
Manus manum lavat.
Permutat navita merces.
Dat medicina salutem.
Tuas litteras exspecto.
Medicinam vulnera poscunt.
Dolores levat questus.
Ferrum rubigo consumit.
Consumit inertia corpus.
Gramen carpit equus.
Alit aemulatio ingenia.
Nidum ponit avis.
Te sequor.
Fors omnia versat.
India mittit ebur.
Deus dat vitam.
Deucalion jactavit lapides.
Dona feram.
Amabo te.
Diem perdidi.
Nostra nos patria delectat.
Virtutem doctrina parat.

Ludus genuit certamen.
Aurora diem reducit.
Sol signa dabit.
Ventus agit nubes.
Flores amat apis.
Legi tuas litteras.
Dido condidit Carthaginem et vitam suam gladio finivit.
Romulus Romam condidit ibique asylum aperuit.
Cervus fugit lupum.
Ossa tegit tumulus.
Tenet ancora navem.
Virtus tua te vocat.
Vitam spes alit.
Terra parit flores.
Munera dat dives.
Poma dat Autumnus.
Ver praebet flores.
Proba merx facile emptorem reperit.
Alexander Darium fugavit.
Brutus Caesarem occidit.
Acres venabor apros.
Carmina nulla canam.
Multos castra juvant.
Quaerit avarus opes.
Labor omnia vincit improbus.
Aurum omnes colunt.
Acrem militiam paras.
Avidum doma spiritum.
Torva leaena lupum sequitur.
Apricos necte flores, sparge rosas, prome vinum.
Munera multa dedi.
Vince iram tuam.
Spes bona dat vires.
Luna tremulum praebebat lumen.
Stat multos silva per annos.
Sol oriens et occidens diem noctemque conficit.
Epistolam tuam accepi.

Movit suas alas Daedalus.
Icarus deseruit patrem suum.
Romani universam Italiam devicerunt.
Regit mundum sol aureus.
Quinque tenent coelum zonae.
Quercus ingentes tendit ramos.
Romulus creavit centum senatores.
Numa nullum bellum gessit.
Non terret sapientem mors.
Non me offendit verum.
Tuum negotium agam, sicut debeo.
Virides occultant spineta lacertos.
Me benignitas tua ditavit.
Tumidus rigat arva fluvius.
Mercator reficit naves quassas.
Necessitas non habet leges.
Aurum avidas mentes polluit.
Nauta videt mare turgidum.
Feriunt summos fulgura montes.
Atra nubes condidit lunam.
Deum agnoscis ex operibus ejus.
Deos pura, integra, incorrupta mente venerari debemus.
Sol crescentes decedens duplicat umbras.
Mors et fugacem persequitur virum.
Teneras defendo a frigore myrtos.
Tres Horatii vicerunt tres Curiatios.
Fretum recipit de tota flumina terra.
Pueri inter se pro levibus noxiis iras gerunt.
Naturam si sequemur ducem, nunquam aberrabimus.

4. Genitivo.

Suavis est laborum praeteritorum memoria.
Crescit amor nummi.
Mater artium est necessitas.
Honos est praemium virtutis.

Juno Jovis conjunx erat.
Ego mortis non ero causa tuae.
Helena Trojanis causa pestis atque exitii fuit.
Sol est lux mundi.
Invidiae pallor in ore sedet.
Neptunus est numen aquarum.
Immensa est potentia coeli.
Ego lacrimas matris videbo.
Scipio fudit Annibalis copias.
Avida est periculi virtus.
Vita rustica parsimoniae, diligentiae, justitiae magistra est.
Omnes immemorem beneficii oderunt.
Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis recte habetur.
Injuriarum remedium est oblivio.
Adolescentis est majores natu vereri.
Cujusvis hominis est errare, nullius, nisi insipientis, in errore perseverare.
Romulus Romanae conditor urbis erat.
Victima mortis eris.
Non incola montis, non ego sum pastor.
Penelope conjunx Ulixis erat.
Pan Deus Arcadiae est.
Stulti est, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.
Villarum culmina fumant.
Canis leporis vestigia sequitur.
Miles timet sagittam hostis.
Flumen Rubico finis quondam erat Galliae et Italiae.
Fortia taurorum corpora frangit opus.
Quis non causas mille doloris habet?
Ira est initium insaniae.
Vita hominis sine litteris mors est.
Omnium rerum vicissitudo est.
Omnium malorum stultitia est mater.
Servitus extremum est omnium malorum.
Magna spes est in bonitate Dei.

Aliud agendi tempus, aliud quiescendi.
Maximam cepi laetitiam ex carissimi patris epistola.
Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fuit.
Stilus est optimus et praestantissimus dicendi magister.
Nostri melior pars animus est.

5. Dativo.

Modestia prima est adolescenti commendatio.
Omnia virtuti prona.
Ago tibi gratias.
Piger sibi ipse obstat.
Grata mihi tua epistola fuit.
Redditur terrae corpus.
Non solum nobis nati sumus.
Redeunt jam gramina campis.
Invia virtuti nulla est via.
Da mihi pignus amoris.
Arma fecit Vulcanus Achilli.
Oves nobis suam lanam praebent.
Urbes maritimae non solum multis periculis oppositae sunt, sed etiam caecis.
Nemo liber est, qui corpori servit.
Aculeum deus dedit apibus.
Leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt.
Atheniensibus leges instituit Solon, Spartanis Lycurgus.
Tempori parce.
Melioribus pare.
Legi morique parendum est.
Auxilium tu mihi ferre potes.
Datus est tibi plausus.
Tristitiam et metus tradam ventis.
Nox placidam membris dat cura quietem.
Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.
Religio et fides anteponi debet amicitiae.
Quercus Jovi et myrtus Veneri placuit, Phoebo laurea, populus celsa Herculi.

6. Ablativo.

Spe vivimus.
Similis simili gaudet.
Pares cum paribus facillime congregantur.
Cito pede praeterit aetas.
Pastor carmine mulcet oves.
Tempore compescitur ira leonum.
Vincuntur molli pectora dura prece.
Cretum leges laboribus erudiunt juventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando.
Athletae in palaestra cursu, luctando, hasta, pugilatu, pila, saliendo sese exercebant.
Julii Caesaris aetate Britanni interiores plerique frumenta non serebant, sed lacte et carne vivebant pellibusque erant vestiti.
Ventis agitatur ingens pinus.
Omnes patriae dulci tanguntur amore.
Deteriores omnes sumus licentia.
Nihil agendo homines male agere discunt.
Neptunus tridente suo terram percussit.
Orpheus carmine silvas et saxa duxit.
Ferreus assiduo consumitur annulus usu.
Boni assiduique agricolae villa tota locuples est: abundat porco, haedo, agno, gallina, lacte, caseo, melle.
Nihil honestum esse potest quod justitia vacat.
Immedicabile vulnus ense recidendum est.
Deus nulla re magis hominem separavit a ceteris animalibus, quam dicendi facultate.
Audendo atque agendo res Romana crevit.
Animantium quanta varietas est! Quarum aliae coriis tectae, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae: pluma alias, alias squama videmus obductas, alias esse cornibus armatas.
Magnos homines virtute metimur, non fortuna.
Avarus animus nullo satiatur lucro.

Medici graviores morbos asperis remediis curant, sed plus interdum quiete, quam movendo atque agendo proficiunt.

Multas et locis altis positas turres Hispania habebat, quibus et speculis et propugnaculis adversus latrones utebatur.

7. Infinito.

Aude contemnere opes.

Aut prodesse volunt aut delectare poëtae.

Agere considerate pluris est, quam cogitare prudenter.

Pythagoras, quum in geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur.

Quoniam vita brevis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere debemus. 5

A recta conscientia transversum unguem non oportet discedere.

Diligere parentes prima naturae lex est.

Quum sumus negotiis curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere.

Cessator esse noli.

Largum hominem dici est regia laus. 10

Amitti virtus non potest.

Memoriae duplex virtus: facile percipere et fideliter continere.

Hora consistere non potest.

Philippus amari malebat, Alexander metui.

Latrocinari, fraudare turpe est. 15

Naturam mutare pecunia nescit.

Docto homini et erudito vivere est cogitare.

Bene ferre disce magnam fortunam.

Angustam pauperiem pati puer condiscat.

Dici beatus ante obitum nemo debet. 20

Aequam memento rebus in arduis servare mentem.

Et monere et moneri proprium est verae amicitiae.

Qui mentiri solet, pejerare consuevit.

8. Imperativo.

Ora et labora.
Mentem hominis spectato, non frontem.
Gere morem parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus.
Studete optimis disciplinis atque artibus.
Si qua sede sedes atque est tibi commoda sedes,
Illa sede sedê, si nova tuta minus.
Impius ne audeto placare donis iram deorum.
Fide, sed ante vide.
Nimium ne crede colori.
Ignoscito saepe alteri, nunquam tibi.
Nosce te ipsum.
Disce aut discede.
Memento mori.
Dic mihi verum.
I, sequere Italiam ventis.
Fer opem miseris.
Noli me tangere.
Nolito nimium tibi placere.
Nolite fugere hostes.
In primis venerare deos.
Laudator industria.
Regere a sapientibus.
Nitere cum studio, si vis aliquando nitêre.
Nemo sepelitor in urbe.
Puniuntor fures.

9. Il Verbo *Sum*.

Ego tu sum, tu es ego: unanimi sumus.
Nusquam est, qui ubique est.
Virtus est optima nobilitas.
Legum omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.
Dux ego vester eram.

Sunt bestiae quaedam, in quibus inest aliquid simile virtutis.
Ebrietas est insania.
Usus magister est optimus.
Arbor virga fuit.
Fames est optimus coquus.
Magnum vectigal est parsimonia.
Quisquis es, quidquid tibi nomen est, aliquando pulvis et umbra eris.
Ego ita ero, ut me esse oportet.
Ne matri quondam justi sim causa doloris!
Omnia non properanti clara certaque erunt. Festinatio improvida est et caeca.
Bono animo estis.
Eventus stultorum magister est.
Thesaurus omnium rerum est memoria.
Fuimus Troes: fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum.
Famâ incerta in majus vero ferri solent.
Xenophontis sermo est melle dulcior.

10. Pronomi relativi.

Litteras exspecto, quas scripsisti.
Est Deus in mundo, qui omnia videt.
Fortis est, qui se vincit.
Vir bonus est quis? qui leges servat.
Qua nocte natus Alexander est, eâdem Dianae Ephesiae templum deflagravit.
Non est vir fortis et strenuus, qui laborem fugit.
Virtute qui praediti sunt, soli sunt divites.
Is amicus est, qui juvat in rebus adversis.
Tutus ille non est, quem omnes oderunt.
Ingratus est homo, qui beneficium non reddit.
Qui non novit tacere, nescit loqui.
Solem e mundo tollunt, qui amicitiam e vita tollunt.
Quae nimis apparent, retia vitat avis.
Pompejus, qui a Caesare victus est, fugit ad Ægyptum.

Quis est, qui non admiretur splendorem virtutis?

Justitia virtus est, quâ viri boni appellantur.

Accepi tuas litteras, in quibus tuum erga me amorem cognovi.

Quot homines, tot sententiae.

Quot capitum vivunt, totidem studiorum milia.

Tantum scimus, quantum memoriâ tenemus.

11. Accusativi coll'infinito.

Traditum est, Homerum caecum fuisse.

Vere dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum.

Praestat beneficii quam maleficii memorem esse.

Arma membra militis esse dicunt.

Videmus, mortem omni aetati esse communem. At sperat adolescens, diu se victurum, quod sperare idem senex non potest.

Philippus, Macedonum rex, omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset ascendere.

Credibile est, hominum causa factum esse mundum?

Nemo est tam senex, qui se annum non putet posse vivere.

Quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem?

Omnibus bonis expedit, salvam esse rem publicam.

Te accepisse meas litteras gaudeo.

« Apparet », inquit Seneca ad villicum suum conversus, « has platanos negligi. Nullas habent frondes. Quam nodosi sunt et retorridi rami? Quam tristes et squalidi trunci? Hoc non accideret, si quis has circumfoderet, si irrigaret ». Juravit villicus per genium heri, se omnia facere, in nulla re cessare curam suam: sed illas vetulas esse.

Sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem.

Quis nescit, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat?

Omnibus innatum est et in animo quasi insculptum, esse deos. 15

12. Ablativo assoluto.

Demosthenes conjectis in os calculis summa voce versus multos pronunciare consuescebat.

Crescente periculo crescunt vires.

Virtute excepta, nihil amicitia praestabilius est.

Ite, deis bene juvantibus.

Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro. 5

Caritate benevolentiaque sublata, omnis est e vita sublata jucunditas.

Camillus, dato pugnae signo, ex equo desilit et proximum signiferum manu arreptum secum in hostem rapit, *infer, miles,* clamitans, *signum.*

Medici, causa morbi inventa, curationem esse inventam putant.

Romani, Scipione duce, ponte facto, superaverunt Ticinum flumen, ibique castris positis territi sunt prodigiis. Nam et lupus intraverat castra laniatisque obviis ipse intactus evaserat, et examen apum in arbore praetorio imminente consederat. Quibus procuratis, Scipio profectus ad castra hostium, acieque instructa, vixdum clamore sublato, jaculatores fugientes ceterosque Romanos pavore perculsos vidit, quum ipse vulneratus neque servatus esset nisi intercursu filii tum primum pubescentis. Proxuma nocte, jussis militibus vasa colligere, castra ab Ticino mota festinatumque ad Padum est, ut ratibus, quibus junxerat flumen, nondum resolutis, sine tumultu copias trajiceret.

Caninio consule scito neminem prandisse. 10

Romanis raptim e castris eductis, non capto ante cibo, non ope ulla ad arcendum frigus adhibita, nihil ca-

loris inerat, at Hannibalis miles, ignibus ante tentoria factis oleoque per manipulos, ut mollirent artus, misso et cibo per otium capto, alacer animis corporibusque arma capit atque in aciem procedit.
Sex. Pompejus fugit ustis navibus.

SENTENZE MISTE.

Omnia praeclara rara.
Post messem copia major erit.
Mors est certa, tempus incertum.
Disce parvo esse contentus.
Codrus pro patria mortuus est.
Dei providentia mundus administratur.
Omnes antiquae gentes regibus paruerunt.
Vive memor leti!
Nullus locus nobis dulcior esse debet patria.
Bene vivere bis vivere est.
Per mare, per terras, per flumina curris.
Sub dulci melle venena latent.
Fama est mendax veloxque.
Non, quae praeteriit, hora redire potest.
Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.
Morti nihil est tam simile, quam somnus.
Fortuna multis dat nimis, satis nulli.
Peccati dolor et maximus et aeternus est.
Rosae fulgent inter lilia mixtae.
Stultus non novit silentium servare.
Bona existimatio divitiis praestat.
Agesilaus opulentissimo regno praeposuit bonam existimationem.
Da locum melioribus.
Suavis laborum est praeteritorum memoria.
Omnes boni beati sunt.
Beatus esse sine virtute nemo potest.
Penelope absentem maerebat Ulixen.

Nihil semper floret; aetas succedit aetati.
Semper avarus eget.
Avaritia prima scelerum mater.
Memoria minuitur, nisi eam exerceas.
Miltiades Persas vicit in pugna Marathonia.
Regulus in Africa victus est.
Poenas Gallia victa dedit.
Non omnes, qui habent citharam, sunt citharoedi.
Nihil est ab omni parte beatum.
Sola spes hominem in miseriis consolari debet.
Vive pius, moriere felix.
Tempus edax rerum est.
Facile in morbos incidunt adolescentes.
Pauci veniunt ad senectutem.
Vitia celari non possunt.
Dulce est paternum solum.
Fortuna simillima vento est.
Qui nescit se peccare corrigi non vult.
Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.
Nemo mortalium omnibus horis sapit.
Pudore amisso, omnis virtus ruit.
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
Plures necat lingua, quam gladius.
Dum felis dormit, saliunt mures.
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Est profecto Deus, qui quae gerimus audit et videt.
Verecundia juventutem ornat.
Optimum quidque rarissimum est.
Veritas laborat nimis saepe, extinguitur nunquam.
Male parta male dilabuntur.
Laetor, quod laudor a laudato viro.
Vitae brevis spem nos vetat inchoare longam.
Fructu, non foliis arborem aestima.
Nemo vir magnus sine afflatu divino unquam fuit.
Videre nostra mala non possumus.
Qui cupiet, metuet quoque.
In secundis time, in adversis spera.

Homo doctus in se semper divitias habet.
Sol locatur in media mundi sede.
Intra fortunam debet quisque manere suam.
Ut ameris, amabilis esto.
Terra circum solem volvitur.
Decipimur specie recti.
Exitio est avidum mare nautis.
Condiunt Ægyptii mortuos et eos domi servant.
Caesar tribus et viginti plagis confossus est.
Darius, hortantibus amicis, classem comparavit.
Cupiditates animi sunt morbi.
Est aliqua sapientiae pars stultitiam silentio tegere.
Res omnium rerum est nocentissima calumnia.
Otium omnia mala docet adolescentes.
Horrida callidi vincunt aequora navitae.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite questum.
Mella cava manant ex ilice.
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Gloriam qui spreverit, veram habebit.
Reverentiae comes est amor.
Suam quisque conditionem miserrimam putat.
Obsequium amicos, veritas odium parit.
Deforme est de se ipsum praedicare.
In voluptatis regno virtus non potest consistere.
Linguam compescere virtus non minima est.
Certa amittimus, dum incerta petimus.
Omnia pecunia effici non possunt.
Nomen pacis dulce est, et ipsa res salutaris.
Amici novi veteribus non sunt anteponendi.
Fas est et ab hoste doceri.
Datum est Neptuno maritimum regnum.
Imperat aut servit collecta pecunia cuique.
Coena brevis juvat et prope rivum somnus in herba.
Nemo malus felix.
Mendaci homini, ne verum quidem dicenti, credere solemus.
Et neglecta solent incendia sumere vires.

Ridentur, mala qui componunt carmina. 100
Sunt facta verbis difficiliora.
Mortalia cuncta peribunt.
Non satis est pulchra esse poemata; dulcia sunto
Et quocunque volent animum auditoris agunto.
Bene qui latuit, bene vixit. 105
Ab alio exspectes, alteri quod feceris.
Nulla de virtutibus nec admirabilior nec gratior misericordia est.
Cur ego amicum offendam in nugis?
Promissa tua memoria teneas.
Diligentia in omnibus rebus plurimum valet. 110
Agricola incurvo terram dimovit aratro.
Nihil est vera gloria dulcius.
Verum decus in virtute positum est.
Majorum gloria posteris quasi lumen est.
Omnis virtus in actione consistit. 115
Vacare culpa magnum est solatium.
Qui non vetat peccare quum possit, jubet.
Ægroto dum anima est, spes est.
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.
Quis amicior, quam frater fratri? 120
Civile bellum perniciosissimum est.
Nihil in hoc mundo fieri sine Deo potest.
Legati Samiorum, auxilium orantes, longam orationem habuerunt. Tum Spartani: Prima obliti sumus, postrema non intelleximus, quia prima non memineramus.
Esse oportet, ut vivas, non vivere, ut edas.
Omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. 125
Caesar non ante gubernatorem cedere adversae tempestati passus est, quam paene obrutus fluctibus.
Maxime admiramur eum, qui pecunia non movetur.
Quid fors feret, feremus aequo animo.
Mea mihi conscientia pluris est, ait Cicero, quam omnium sermo.

Magnae divitiae, vis corporis, alia omnia hujuscemodi brevi dilabuntur; at ingenii egregia facinora immortalia sunt.
Videtis, nihil esse morti tam simile, quam somnum.
Homo sum: humani nihil a me alienum puto.
Audentes fortūna juvat.
Fortes fortuna adjuvat.
Ut sementem feceris, ita metes.
Hominis mens discendo alitur et cogitando.
Adspiciunt oculis superi mortalia justis.
Nihil expedit, quod non decet.

BRANI PIU' ESTESI.

1 Vulpes et uva.

Fame coacta vulpes alta in vinea
Uvam adpetebat, summis saliens viribus:
Quam tangere ut non non potuit, discedens ait:
« *Nondum matura est; nolo acerbam sumere* ».

2 Sol Phaetonti filio facturum se esse dixit quidquid optasset. Optavit, ut in currum patris tolleretur. Sublatus est. Atque is antequam constitit, ictu fulminis deflagravit.

3 Non est ad astra mollis e terris via.

4 Lacaena, quum filium in proelium misisset et interfectum audisset: *Idcirco*, inquit, *genueram, ut esset, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.*

5 Sabini virginem Romanam auro corruperant, ut se armatos in arcem acciperet. Ea forte tum extra moenia iverat petitum aquam sacris. Accepti Sabini virginem obrutam armis necaverunt, prodendi exempli causa, ne quid usquam fidum proditori esset.

6 Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

7 Navita de ventis, de tauris narrat arator:
Enumerat miles vulnera, pastor oves.
8 Nutritur vento, vento restinguitur ignis:
Lenis alit flammas, grandior aura necat.
9 Improbus est, qui scit beneficium accipere, nescit reddere.
10 Homines dum docent discunt.
11 Carmina sola carent fato mortemque repellunt.
Carminibus vives semper, Homere, tuis.
12 Romani ab aratro adduxerunt Cincinnatum, ut dictator esset.
13 Utendum est aetate; cito pede labitur aetas:
Quam cuperes votis hunc revocare diem!
14 Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur.
15 Cornelia, Gracchorum mater, quum Campana matrona, apud illam hospita, ornamenta sua ipsi ostenderet, traxit eam sermone, donec e schola redirent liberi. Tum: *Et haec,* inquit, *mea sunt ornamenta.*
16 Dum licet et vernos etiam nunc editis annos,
Discite; eunt anni more fluentis aquae.
17 Divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est: virtus clara aeternaque habetur.
18 Ira furor brevis est. Animum rege; qui nisi paret
Imperat; hunc tu frenis, hunc tu compesce catena.
19 Avaritia fidem, probitatem ceterasque artes subvertit.
20 Serius aut citius sedem properamus ad unam
Tendimus huc omnes, haec est domus ultima cunctis].
21 Philippus in acie tutior, quam in theatro fuit: hostium manus saepe vitavit, suorum effugere non potuit.

22 Ver amoenum.

Nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.

23 De nece Archimedis.

Captis Syracusis, quas Archimedes machinis suis mirificis diu a Romanis defenderat, Marcellus imperator edixit, ne quis Archimedi vim faceret. Dum Archimedes autem, meditatione demersus, oculis et animo in terram defixis formas in pulvere describit, miles Romanus, qui praedandi causa in domum irruperat, stricto gladio eum interrogavit, quisnam esset. Cui Archimedes propter nimium ardorem studii nihil nisi hoc: *Noli turbare circulos meos!* A milite igitur ignaro, quis esset, interfectus est.

24 Fessus ut incubuit baculo saxoque resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oves.

25 Non modo reticere parentum iniurias, sed etiam aequo animo ferre oportet.

26 Tempore difficiles veniunt ad aratra juvenci:
Tempore lenta pati frena docentur equi.

27 Ut ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis, sic homo ad intelligendum et ad agendum est natus.

28 Quid magis est durum saxo? quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

29 De Maecenate, animoso Augusti amico.

Jus aliquando dicebat Augustus et multos capite damnaturus esse videbatur. Aderat tum Maecenas, qui per circumstantium turbam perrumpere et ad tribunal accedere conabatur. Quod quum aliquamdiu frustra tentasset, haec verba in tabella scripsit: *Surge tandem, carnifex!* eamque tabellam ad Augustum projecit. Quam quum legisset Augustus, statim surrexit neque quemquam morte multavit.

30 In scientia excellere pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire, decipi et malum et turpe ducimus.

31 Quis crederet unquam
Aërias hominem carpere posse vias?

32 Hoc proprium est animi bene instituti et laetari bonis rebus et dolere contrariis.

33 Ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus: ita est utraque res sine altera debilis.

34 Rana rupta et bos.

In prato quondam rana conspexit bovem,
Et tacta invidia tantae magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem: tum natos suos
Interrogavit, an bove esset latior.
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Majore nisu, et simili quaesivit modo,
Quis major esset. Illi dixerunt bovem.
Novissime indignata dum vult validius
Inflare sese, rupto jacuit corpore.

35 Athenienses, quum Persarum impetum nullo modo possent sustinere statuerentque, ut, urbe relicta, conjugibus et liberis Troezene depositis, naves conscenderent libertatemque Graeciae classe defenderent, Cyrsilum quendam, suadentem, ut in urbe manerent Xerxemque reciperent, lapidibus cooperuerunt.

36 Discipuli ante omnia id monendi sunt, ut praeceptores suos non minus, quam ipsa studia ament et parentes esse, non quidem corporum, sed mentium credant. Multum haec pietas confert studio; nam ita et libenter audient et dictis credent et esse similes concupiscent: in ipsos denique coetus scholarum laeti et alacres convenient: emendati non irascentur: laudati gaudebunt: ut sint carissimi studio merebuntur.

37 Hanc *) tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe:
Nil mihi rescribas attamen; ipse veni.

*) epistolam.

38 Nihil est, quod longinquitas temporis efficere atque assequi non possit.

39 Sepulcrum Cyri Alexander jussit aperiri, in quo erat conditum ejus corpus, cui dare volebat inferias. Auro argentoque repletum esse crediderat, — quippe ita fama Persae vulgaverant, — sed praeter clypeum ejus putrem et arcus duos Scythicos et acinacem nihil repperit.

40 Sapientis animus semper vacat vitio, numquam turgescit: numquam sapiens irascitur.

41 Cuncta prius tentanda; sed immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

42 Scythae aurum et argentum non appetebant: lacte et melle vescebantur: lanae iis usus ac vestium ignotus erat; pellibus utebantur ferinis aut murinis.

43 Vidi ego, naufragium qui riserat, aequore mergi:
Et, Numquam, dixi, justior unda fuit.

44 Atticus neque mendacium dicebat, neque pati poterat.

45 Scelus vix satis tegi.

Strato medicus furtum fecit et caedem ejus modi. Quum esset in aedibus mulieris cujusdam armarium, in quo sciret esse nummorum aliquantum et auri noctu duos conservos *) dormientes occidit in piscinamque dejecit: ipse armarii fundum exsecuit et auri quinque pondo abstulit, uno ex servis puero non grandi conscio. Furto postridie cognito omnis suspicio in eos servos, qui non comparebant, commovebatur. Quum exsectio illa fundi in armario animadverteretur, quaerebant homines, quonam modo fieri potuisset. Quidam ex amicis illius mulieris recordatus est, se nuper in auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam, ex omni parte dentatam et tortuosam venire serrulam, qua illud potuisse circum-

*) Tum omnes fere medici ex servis aut libertinis erant.

secari videretur. Ne multa: perquiritur a coactoribus: invenitur ea serrula ad Stratonem pervenisse. Hoc initio suspicionis orto et aperte insimulato Stratone puer ille conscius pertimuit; rem omnem dominae indicavit, homines in piscina inventi sunt, Strato in vincula conjectus est atque etiam in taberna ejus nummi, nequaquam omnes, reperiuntur.

46 Non est injussu imperatoris, id est, Dei, de praesidio et statione vitae decedendum.

47 Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria.

48 Apud Herodotum, patrem historiae, sunt innumerabiles fabulae.

49 Ultima semper
Exspectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

50 Nulla capitalior pestis, quam corporis voluptas, hominibus a natura data est. At voluptates agricolarum nec ulla impediuntur senectute et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere.

51 Reversus quidam in patriam, unde aliquot annis abfuerat, in omnibus coetibus gloriabatur et jactabat praeclara sua facinora. Quum alia narrabat, tum se in insula Rhodo saltando signum fixisse, quod nemo omnium, qui adessent, assequi potuisset. Cujus saltus se testes habere universos Rhodios, ajebat. Tum unus de circulo: Heus tu, inquit, vera narras, nihil opus est istis testibus. Hic Rhodus, hic salta!

52 Rebus angustis animosus atque
Fortis appare.

53 Est proprium stultitiae, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.

54 Ne eos tibi fideles fore putes, quos pecunia corruperis.

55 Apud Germanos antiquos nudi juvenes, quibus id ludicrum erat, inter gladios se atque infestas frameas saltu jaciebant.

56 Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

57 Dionysius tyrannus, quum Syracusis pulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse.

58 Philosophia, mater omnium bonarum artium, nos primum ad Dei cultum, deinde ad jus hominum, tum ad modestiam magnitudinemque animi erudit, eademque ab animo tamquam ab oculis caliginem dispellit.

59 Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo,
Quaque venit, multas accipit amnis aquas.

60 Ut hirundines aestivo tempore praesto sunt, frigore pulsae recedunt; ita falsi amici sereno vitae tempore praesto sunt, simulatque hiemem fortunae viderint, avolant omnes.

61 In pugna ad Trasimenum lacum facta tantus fuit ardor armorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae, qui multarum urbium Italiae magnas partes prostravit avertitque cursu rapidos amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.

62 Xanthippe, Socratis philosophi uxor, morosa admodum fuisse fertur et jurgiosa.

63 In mundo Deus est, qui regit, qui gubernat, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines ordinesque conservat et terras ac maria contemplans hominum commoda vitasque tuetur.

64 Nihil est dulcius his litteris, quibus infinitatem rerum atque naturae et in hoc ipso mundo coelum, terras, maria cognoscimus.

65 Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis.

66 Semper in proelio iis maximum est periculum, qui maxime timent: audacia pro muro habetur.

67 Is qui non defendit injuriam, quum potest, injuste facit.

68 Versiculos in me narratur scribere Cinna.
Non scribit, cujus carmina nemo legit.

69 Solon se quotidie aliquid addiscentem dixit senem fieri.

70 Romanum imperium a Romulo exordium habet, qui, Vestalis virginis filius et Martis, cum Remo fratre uno partu editus est.

71 De Bruto, callidissime stultitiae simulatore.

Titus et Arruns, filii Tarquinii Superbi, Delphos aliquando missi sunt ad oraculum Apollinis consulendum. Comes iis additus est L. Junius Brutus, Tarquinia, sorore regis, natus, juvenis longe alio ingenio, quam cujus simulationem induerat. Is quum primores civitatis, in quibus fratrem suum ab avunculo interfectum audisset, statuit contemptu tutus esse, ubi in jure parum praesidii esset. Ergo ex industria factus ad imitationem stultitiae quum se suaque praedae esse regi sineret, Bruti quoque haud abnuit cognomen, ut sub ejus obtentu cognominis liberator ille populi Romani animus latens opperiretur tempora sua. Is tum ab Tarquiniis ductus Delphos, ludibrium verius, quam comes, aureum baculum inclusum corneo cavato ad id baculo tulisse donum Apollini dicitur, per ambages effigiem ingenii sui.

Quo postquam ventum est, perfectis patris mandatis, cupido incessit animos juvenum sciscitandi, ad quem eorum regnum Romanum esset venturum. Ex infimo specu vocem redditam ferunt: « *Imperium summum Romae habebit, qui vestrum primus, o juvenes, osculum matri tulerit* ». Tarquinius Sextus, qui Romae relictus fuerat, ut ignarus responsi expersque imperii esset, rem summa ope taceri jubent, ipsi inter se, uter prior, quum Romam redisset, matri osculum daret, sorti permittunt. Brutus alio ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit, scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset.

72 Quum ex Leontino Gorgia quaereretur, cur tamdiu

vellet esse in vita: Nihil habeo, inquit, quod incusem senectutem.

73 Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

74 Maximae respublicae ab adolescentibus labefactatae, a senibus sustentatae et restitutae sunt.

75 Non sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo
Mista fere duris utilis herba rubis.

76 Archytas quum villico factus esset iratior: Quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem!

77 Bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, aequum sit, an iniquum.

78 Masinissa, nonaginta annos natus, quum ingressus iter pedibus esset, in equum omnino non adscendebat; quum equo, ex equo non descendebat; nullo imbre, nullo frigore adducebatur, ut capite operto esset.

79 Homines ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando.

80 Principiis obsta; sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

81 Omnis conglutinatio recens aegre, inveterata facile divellitur.

82 Quis est, quamvis sit adolescens, qui sciat se ad vesperum esse victurum?

83 Hostem quum fugeret, se Fannius ipse peremit.
Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?

84 In summo imperatore quattuor has res inesse oportet: scientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas.

85 Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

86 Fabula, quae relata seditionem sedavit.

Plebs Romana aliquando injussu consulum in sacrum montem secessit, qui trans Anienem amnem est, tria ab urbe milia passuum. Ibi sine ullo duce vallo fossaque communitis castris quieti, rem nullam nisi necessariam ad victum sumendo per aliquot dies neque lacessiti, neque lacessentes sese tenuere. Pavor

ingens in urbe metuque mutuo suspensa erant omnia. Timere relicta a suis plebis violentiam patrum, timere patres resides in urbe plebem, incerti, manere eam an abire mallent. Quamdiu autem tranquillam, quae secesserit, multitudinem fore? quid futurum deinde, si quod externum interim bellum existat? Nullam profecto nisi in concordia civium spem reliquam ducere. Sic placuit igitur oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum et, quod inde oriundus erat, plebi carum. Is intromissus in castra prisco illo dicendi et horrido modo nihil aliud quam hoc narrasse fertur:

Tempore, quo in homine, non, ut nunc, omnia in unum consentientia, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuit, indignatae reliquae partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quaeri, ventrem in medio quietum nihil aliud quam datis voluptatibus frui, conspiraverunt inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare volebant, ipsa una membra totumque corpus ad extremam tabem venit. Inde apparuit ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, quo vivimus vigemusque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc, quam intestina corporis seditio similis esset irae plebis in patres, flexit mentes hominum.

87 Parvi sunt foris arma, nisi consilium est domi.

88 — Vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

89 Quod munus rei publicae afferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem?

90 Carthago septingentesimo anno, postquam condita erat, deleta est.

91 Omnia prona victoribus, eadem victis adversa.

92 Pectus est, quod disertos facit, et vis mentis.

93 In pretio pretium nunc est: dat census honores,
Census amicitias: pauper ubique jacet.
94 Jacent ea semper, quae apud quosque improbantur.
95 Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci
Lectorem delectando pariterque monendo.
96 Minuuntur atrae carmine curae.
97 Auri navem evertat gubernator, an paleae: in re aliquantum, in gubernatoris inscitia nihil interest.
98 Virtus nec eripi nec surripi potest umquam: neque naufragio, neque incendio amittitur: nec vi tempestatum nec temporum perturbatione mutatur.
99 Vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus!
100 Quis est tam vecors, qui, quum suspexerit in coelum, Deum esse non sentiat?
101 Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?
Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.
102 Nostra nos patria delectat: cujus tanta est vis ac tanta natura, ut Ithacam, illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret.
103 Cernere justitiam nequeunt, quos munera caecant.

104 **Etiam in caecis vim esse agendi.**

Appius Claudius censor regebat et caecus et senex quattuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantam clientelam. Intentum enim animum, tanquam arcum, habebat, nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos; metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant. Et quum caecus annos multos esset, in illo suo casu nec privato, nec publico muneri defuit. Itaque quum Cineas, Pyrrhi legatus, blanda oratione senatorum animos adeo movisset, ut jam inclinarent ad pacem cum Pyrrho foedusque faciendum, Appius grandis natu lectica se in curiam

deportari jussit gravissimaque oratione pacem dissuasit et avertit. Tum non dubitavit dicere illa, quae versibus persecutus est Ennius:

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
Antehac, dementes sese flexere viai?

105 Thales interrogatus, quid esset Deus? Quod, inquit, initio et fine caret.

106 Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum.

107 Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est.

108 Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum pectus.

109 Spernendae opes: auctoramentum sunt servitutum.

110 Marcus Antonius victus est ab Augusto navali pugna clara et illustri apud Actium, qui locus in Epiro est.

111 Vidi ego, quod fuerat quondam solidissima tellus,
Esse fretum: vidi factas ex aequore terras.

112 Studia litterarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

113 Romae consules pro uno rege duo hac causa creati sunt, ut, si unus malus esse voluisset, alter eum, habens potestatem similem, coërceret.

114 Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenae.

115 Ille honorat deum optime, qui facit mentem suam similem deo, quantum fieri potest.

116 Multos castra juvant et lituo tubae
Permixtus sonitus bellaque matribus
Detestata.

117 De Mithridate, rege Pontico.

Mithridates, duarum et viginti gentium rex, totidem

linguis jura dixit, pro concione singulas sine interprete affatus. Puer tutorum insidias passus erat, qui eum fero equo impositum equitare jacularique cogebant. Qui conatus quum eos fefellissent, supra aetatem regente equum Mithridate, veneno eum appetivere. Quod metuens antidota saepius bibit et ita se adversus insidias exquisitioribus remediis stagnavit, ut ne volens quidem senex veneno mori posset. Timens deinde ne inimici, quod veneno non potuerant, ferro peragerent, venandi studium finxit: quo per septem annos neque urbis neque ruris tecto usus est: sed per silvas vagatus diversis montium regionibus pernoctabat, ignaris omnibus, quibus esset locis, assuetus feras cursu aut fugere, aut persequi, cum quibusdam etiam viribus congredi. Quibus rebus et insidias vitavit et corpus ad omnem patientiam duravit. Suum regnum quum satis firmasset, vir ingentis spiritus Asiae totius et si posset Europae cupiditate flagrabat. Quo in studio aemulos habuit Romanos, quibus Mithridates per quadraginta annos fortissime restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Sullae, virtute Luculli, magnitudine Pompei consumeretur.

Ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam praedicant in fuga fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut illorum collectio dispersa maerorque patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium, quas et a majoribus acceperat et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Haec dum Romani colligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit. Ita illum a persequendi studio maeror, hos laetitia tardavit. — Mithridates, quum bellum renovaturus a suis desertus atque ab ipso filio proditus esset, spiritum ferro expulit.

118 Facilius est apta dissolvere, quam dissipata connectere.

119 Una salus victis nullam sperare salutem.

120 Callicrates ex ebore formicas, et alia tam parva fecit animalia, ut partes earum a ceteris cerni non possent.

121 Facilius in morbos incidunt adoloscentes; gravius aegrotant, tristius curantur. Itaque pauci veniunt ad senectutem.

122 Illud amicitiae sanctum ac venerabile nomen
Re tibi pro vili sub pedibusque jacet?

123 « Itur ad astra » frugalitate, temperantia, fortitudine, aliisque virtutibus. Mens bona nulla est sine deo.

124 Fortes et magnanimi sunt habendi non qui faciunt, sed qui propulsant iniuriam.

125 Di praeceptorem sancti voluere parentis
Esse loco.

126 Post pugnam Cannensem Hannibal tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos e manibus equitum Romanorum et militum detraxerat.

127 Facile omnes, quum valemus, recta consilia aegrotis damus.

128 Turpe quidem dictu, sed, si modo vera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.

129 Numantini deplorato exitu in ultimam rabiem furoremque conversi postremo mori quam Romanis se dedere maluerunt. Duces suos seque patriamque ferro et veneno subiectoque undique igne peremerunt. Neque unus vir Numantinus fuit, qui in catenis duceretur. Praeda, ut de pauperibus, nulla. Triumphus Scipionis fuit tantum de nomine.

130 Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes.

131 Nihil est, quin male narrando possit depravari.

132 Dicere nemo potest, nisi qui prudenter intelligit, neque quisquam in eo disertus esse potest, quod nescit.

133 Labor omnia vincit improbus.

134 In Demosthene tantum studium fuisse tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superaret; quumque ita balbus esset, ut eius ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur, deinde quum spiritus eius esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum binae ei contentiones vocis et remissiones continerentur. Quin etiam, conjectis in os calcolis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat neque is consistens in loco, sed inambulans atque ascensu ingrediens arduo.

135 Senectus plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Aetna gravius dicant sustinere.

136 Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Appone.

137 Moriendum certe est, et id incertum, an hoc ispso die.

138 Non omnis feret omnia tellus.
Hic segetes, illic veniunt felicius uvae,
Arborei fetus alibi: atque injussa virescunt
Gramina.

139 Cato maior litteras Graecas senex didicit: quas quidem avide arripuit, quasi diuturnam sitim explere cupiens.

140 Noscitur ex sociis, qui non cognoscitur ex se.

141 Qui id, quod vitari non potest, metuit, is vivere animo quieto nullo modo potest.

142 Gutta cavat lapidem; consumitur annulus usu
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

143 Thales Milesius

ut objurgatores suos convinceret ostenderetque etiam philosophum, si eum commodum esset, pecuniam facere posse, omnem oleam, antequam florere coepisset, in agro Milesio coëmit. Animadverterat for-

tasse quadam scientia olearum ubertatem fore. Et quidem idem primus defectionem solis, quae Astyage regnante facta est, praedixit.

144 Perfer et obdura: dolor hic tibi proderit olim:
Saepe tulit lassis succus amarus opem.

145 Quam multa in foliis avium se millia condunt,
Vesper ubi, aut hibernus agit de montibus imber.

146 Qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse.

147 Facile est imperium in bonis.

148 Hortensius in auctione persedit diem totum; et vespere recensuit omnes res et pretia et emtores ordine suo, argentariis recognoscentibus, ita ut in nullo falleretur.

149 Marco Tullio Cicerone oratore et C. Antonio coss., anno ab urbe condita sexcentesimo octogesimo nono, A. Sergius Catilina, nobilissimi generis vir, sed ingenii pravissimi, ad delendam patriam conjuravit cum quibusdam, claris quidem, sed audacibus viris. A Cicerone urbe expulsus est; socii ejus deprehensi in carcere strangulati sunt. Ab Antonio, altero consule, Catilina ipse proelio victus est et interfectus.

150 Fulgida non parvas animo dat gloria vires;
Et fecunda facit pectora laudis amor.

151 Mollis educatio nervos omnes et mentis et corporis frangit.

152 Verum est, fabrum esse suae quemque fortunae?

153 Neglectis urenda filix innascitur agris.

154 Nestor

apud Homerum saepissime de virtutibus suis praedicat. Tertiam enim jam aetatem hominum vivebat, nec erat ei verendum, ne vere praedicans de se nimis videretur aut insolens aut loquax. Etenim, ut ait Homerus, ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio, quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus.

Et tamen dux ille Graeciae nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris: quod si sibi acciderit, non dubitat, quin brevi sit Troja peritura.

155 Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.

156 Quibus gradibus Romulus ascendit in coelum? Rebus gestis atque virtutibus.

157 Proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est.

158 Xerxes, ante navale proelium, quo victus est a Themistocle, miserat quattuor milia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum, quasi non cum Graecis tantum, sed et cum diis immortalibus bellum gereret. Quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est, ut intelligeret, quam nullae essent hominum adversus deos vires.

159 Cultus deorum est optimus, ut eos semper pura, integra, incorrupta mente veneremur.

160 Ego illum periisse duco, cui quidem periit pudor.

161 Quum duobus modis, id est aut vi aut fraude, fiat injuria: fraus quasi vulpeculae, vis leonis videtur: utrumque homine alienissimum; sed fraus odio digna majore. Totius autem injustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui, quum maxime fallunt, dant operam, ut viri boni habeantur.

162 Jussit homines Pythius Apollo noscere semet ipsos.

163 **Bias,**

quum patriam ejus Prienen cepisset hostis ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent ipseque esset admonitus a quodam, ut idem faceret: Ego vero, inquit, facio; nam omnia mecum porto mea.

164 Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames!

165 Gloria virtutem tamquam umbra sequitur.

166 Veteres Romani, acceptâ injuria, malebant ignoscere,

quam persequi. Plus paene auxerunt imperium parcendo victis, quam vincendo.

167 Esca malorum est voluptas, qua homines capiuntur, ut hamo pisces.

168 Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda: beatissimos vero, quibus utrumque.

169 Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur aquae.

170 De Germanorum moribus.

Germani multum a Gallis differunt. Nam neque druides habent, qui rebus divinis praesint, neque sacrificiis student. Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt et quorum aperte opibus juvantur, Solem et Vulcanum et Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis in venationibus atque in studiis rei militaris consistit: ab parvulis labori ac duritiae student. Qui diutissime impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali vires nervosque confirmari putant. Intra annum vero vicesimum feminae notitiam habuisse in turpissimis habent rebus; cujus rei nulla est occultatio, quod et promiscue in fluminibus perluuntur et pellibus aut parvis rhenonum tegumentis utuntur magna corporis parte nuda.

Agriculturae non student majorque pars victus eorum in lacte, caseo, carne consistit. Neque quisquam agri modum certum aut fines habet proprios: sed magistratus ac principes in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierant, quantum et quo loco visum est agri attribunt atque anno post alio transire cogunt. Ejus rei multas afferunt causas: ne assidua consuetudine capti studium belli gerendi agricoltura commutent; ne latos fines parare studeant potentioresque humiliores pos-

sessionibus expellant; ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos aedificent; ne qua oriatur pecuniae cupiditas, qua ex re factiones dissensionesque nascuntur; ut animi aequitate plebem contineant, quum suas quisque opes cum potentissimis aequari videat.

Civitatibus maxima laus est quam latissime circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quemquam prope audere consistere; simul hoc se fore tutiores arbitrantur repentinae incursionis timore sublato. Quum bellum civitas aut illatum defendit aut infert, magistratus, qui ei bello praesint, ut vitae necisque habeant potestatem, deliguntur. In pace nullus est communis magistratus, sed principes regionum atque pagorum inter suos jus dicunt controversiasque minuunt. Latrocinia nullam habent infamiam, quae extra finis cuiusque civitatis fiunt, atque ea juventutis exercendae ac desidiae minuendae causa fieri praedicant. Atque ubi quis ex principibus in concilio dixit se ducem fore, qui sequi velint, profiteantur, consurgunt ii, qui et causam et hominem probant suumque auxilium pollicentur atque ab multitudine collaudantur: qui ex his secuti non sunt, in desertorum ac proditorum numero ducuntur omniumque his rerum postea fides derogatur. Hospitem violare fas non putant; qui quacunque de causa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, sanctos habent hisque omnium domus patent victusque communicatur.

171 Titus Pomponius Atticus nullas inimicitias gessit, quod neque laedebat quemquam, neque, si quam iniuriam acceperat, non malebat oblivisci, quam ulcisci.

172 Adspice curvatos pomorum pondere ramos;
Ut sua, quod peperit, vix ferat arbor onus.

173 Amici officio et fide pariuntur. Quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris?

174 Medici, ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria.

175 Curando fieri quaedam maiora videmus
Vulnera, quae melius non tetigisse fuit.

176 De Suebis, quales fuerint Caesaris aetate.

Sueborum gens est longe maxima et bellicosissima Germanorum omnium. Hi centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula milia armatorum bellandi causa ex finibus educunt. Reliqui, qui domi manserunt, se atque illos alunt. Hi rursus in vicem anno post in armis sunt, illi domo remanent. Sic neque agricultura nec ratio atque usus belli intermittitur. Sed privati ac separati agri apud eos nihil est, neque longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet. Neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt multumque sunt in venationibus; quae res et cibi genere et quotidiana exercitatione et libertate vitae et vires alit et immani corporum magnitudine homines efficit. Atque in eam se consuetudinem adduxerunt, ut locis frigidissimis neque vestitus praeter pelles haberent quidquam et lavarentur in fluminibus.

Mercatoribus est aditus magis eo, ut, quae bello ceperint, quibus vendant, habeant, quam quo ullam rem ad se importari desiderent. Quin etiam jumentis, quibus maxime Galli delectantur quaeque impenso parant pretio, Germani importatis non utuntur, sed quae sunt apud eos nata, parva atque deformia, haec quotidiana exercitatione summi ut sint laboris efficiunt. Equestribus proeliis saepe ex equis desiliunt ac pedibus proeliantur equosque eodem remanere vestigio assuefecerunt, ad quos se celeriter, quum usus est recipiunt; neque eorum moribus turpius quidquam aut inertius habetur, quam ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum

quamvis pauci adire audent. Vinum ad se importari non sinunt, quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines atque effeminari arbitrantur.

Publice maximam putant esse laudem, quam latissime a suis finibus vacare agros: hac re significari, magnum numerum civitatium suam vim sustinere non posse. Itaque una ex parte a Suebis circiter milia passuum sexcenta agri vacare dicuntur. Ad alteram partem succedunt Ubii, quorum civitas fuit ampla atque florens, ut est captus Germanorum, et qui paulo sunt eiusdem generis ceteris humaniores, propterea quod Rhenum attingunt multumque ad eos mercatores ventitant, et ipsi propter propinquitatem Gallicis sunt moribus assuefacti. Hos quum Suebi multis saepe bellis experti propter amplitudinem gravitatemque civitatis finibus expellere non potuissent, tamen vectigales sibi fecerunt ac multo humiliores infirmioresque redegerunt.

177 Sophocles

ad summam senectutem tragoedias fecit; quod propter studium quum rem negligere familiarem videretur, a filiis in judicium vocatus est, ut eum quasi desipientem a re familiari removerent judices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat et proxime scripserat, Oedipum Coloneum, recitasse judicibus quaesisseque, num illud carmen desipientis videretur. Quo recitato sententiis judicum est liberatus.

178 Stat sua cuique dies: breve et irreparabile tempus
Omnibus est vitae: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus.

179 Quid interest, motu animi sublato, non dico inter pecudem et hominem, sed inter hominem et saxum, aut truncum, aut quidvis generis eiusdem?

180 Vespasiani inter caetera bona illud singulare fuit,

inimicitias oblivisci, adeo ut Vitellii hostis sui filiam lucupletissime dotatam splendidissimo conjungeret viro. Ferebat quoque patienter amicorum motus, contumeliis eorum dictis jocularibus respondens.

181 P. Claudius, consul, bello Punico primo quum liberati pulli non pascerentur, mergi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam esse nollent.

182 — — Populea maerens Philomela sub umbra
Amissos queritur fetus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat et maestis late loca questibus implet.

183 **Pyrrhus,**

rex Epirotarum, paterno genere ab Achille, materno ab Hercule oriundus, orbis terrarum imperium spe complexus, Apollinem de bello adversus Romanos consuluit. Ille ambigue respondit: *Ajo, te, Aeacida, Romanos vincere posse.* Quo dicto incitatus, bellum Romanis intulit. Laevinum consulem, apud Heracleam magna utrinque clade accepta elephantorum novitate vicit. Amicis gratulantibus, fassus hoc fertur: *Nae ego, si iterum sic vicero, sine milite revertar in Epirum.* Romanos omnes in hostem versos honestis vulneribus oppetiisse cernens, exclamavit: *O quam proclive mihi erat orbis imperio potiri, Romanos habenti milites!* Visoque novo Laevini exercitu, eandem sibi ait adversus Romanos quam Herculi adversus hydram fuisse fortunam. Etiam Cineas Romam cum ingentibus a Pyrrho donis missus, neminem, cuius domus muneribus pateret, invenit. Idem interrogatus a Pyrrho, qualis Roma esset, respondit, regum urbem sibi visam. Tandem a Curio et Fabricio superatus, Tarentum refugit. Tum in Graeciam regressus, dum Argos oppugnat, ictu tegulae prostratus est.

184 Exercendum est corpus et ita afficiendum, ut obedire

consilio rationique possit in exsequendis negotiis et in labore tolerando.

185 Exsistunt saepe injuriae calumnia quadam et nimis callida et malitiosa juris interpretatione. Ex quo illud: *summum jus summa injuria* factum est jam tritum sermone proverbium. Quo in genere multa peccantur, ut ille peccavit, qui, quum triginta dierum essent cum hoste factae induciae, noctu populabatur ejus agros, quod, inquiebat, dierum essent pactae, non noctium induciae.

186 Poma dat auctumnus; formosa est messibus aestas;
Ver praebet flores; igne levatur hiems.

187 Quum Fabius Labeo pactus esset cum rege Antiocho, quem bello superaverat, ut ab eo dimidiam classis partem acciperet, fertur omnes ejus naves medias secuisse, ut regem tota classe privaret.

188 Sui cuique mores fingunt fortunam.

189 Quum Macedones, Alexandro duce, delati in continentem Asiae essent, primus rex jaculum velut in hostilem terram jecit armatusque de navi tripudianti similis prosiluit atque ita hostias caedit, precatus, ne se regem illae terrae invitae accipiant.

190 Idem velle, idem nolle ea demum firma amicitia est.

191 Terra salutares herbas eademque nocentes
Nutrit, et urticae proxima saepe rosa est.

192 De animo servi haud servili.

Quum equites, in necem Pisonis proconsulis missi, haud procul cubiculo eius obvium forte servum, quisnam et ubi esset Piso? interrogassent, servus egregio mendacio, se Pisonem esse, respondit ac statim obtruncatur. Nec multo post Piso interficitur.

Quam admirabilis fidei etiam servus Panopionis fuit! Qui quum ad dominum proscriptum occidendum milites venisse cognosset, commutata cum eo veste, illum postico clam emisit, se autem in cubiculum

ac lectulum domini recepit et ut Panopionem occidi passus est.

193 Beneficiorum maxima sunt ea, quae a parentibus accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus. Parentes cogunt teneros infantes ad salubrium rerum patientiam. Flentium et repugnantium corpora diligenti cura fovent. Mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Juventam frugalitati, pudori, moribus bonis applicant: coactam, si non obsequatur libenter.

194 Semper ita vivamus, ut rationem nobis reddendam arbitremur.

195 Ea caritas, quae est inter natos et parentes, dirimi, nisi detestabili scelere, non potest.

196 Non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia.

197 Odit populus Romanus olim privatam luxuriam, publicam magnificentiam dilexit.

198 O rus, quando ego te adspiciam? quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae jucunda oblivia vitae?

199 Mente recte uti non possumus, multo cibo et potione completi.

200 Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit.

201 Quidnam beneficio provocati facere debemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt, quam acceperunt?

202 **Croesus,**

opulentissimus rex Asiae, quum ei sors illa edita esset: *Croesus Halym penetrans magnam pervertet opum vim,* hostium vim sese perversurum putavit, pervertit autem suam. Idem enim, cuius opes insignes erant, a Cyro victus atque captus vidit gentem

suam, industria quondam potentem ac manu strenuam, effeminatam mollitie Persisque subditam.

203 Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

204 Nimia libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit.

205 De nodo Gordio.

Alexander Magnus, Gordio urbe in ditionem suam redacta, Jovis templum intrat. Vehiculum, quo Gordium, Midae patrem, vectum esse constabat, aspexit, cultu haud sane a vilioribus vulgatisque usu abhorrens. Notabile erat iugum, adstrictum compluribus nodis in semetipsos implicatis et celantibus nexus. Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asiae potiturum, qui inexplicabile vinculum solvisset, cupido incessit animo sortis eius implendae, ac nequidquam diu luctatus cum latentibus nodis, *Nihil*, inquit, *interest, quomodo solvantur*: gladioque ruptis omnibus loris oraculi sortem vel elusit vel implevit.

206 Athenienses primi lanificii et olei vini usum docuere; arare quoque et serere frumenta glande vescentibus monstrarunt. Litterae certe ac facundia et civilis ordo disciplinae, veluti templum, Athenas habuerunt.

207 Saepe videmus fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur.

208 Dabimus pueris aliquod laxamentum: desides vero eos esse non sinemus, et procul a contactu deliciarum retinebimus. Nihil enim magis voluptarios et iracundos facit, quam educatio mollis et blanda. Ideo quo plus indulgetur pueris, eo corruptior illis animus est. Offensas patienter ille non feret, cui nihil unquam negatum est, cui lacrimas sollicita semper mater abstersit.

209 Alexander, quum ad excidium Lampsacenae urbis summo studio ferretur progressumque extra moenia

Anaximenem, praeceptorem suum, vidisset, — quia manifestum erat, futurum, ut preces suas irae eius opponeret: non facturum se quod petisset, juravit. Tum Anaximenes: *Peto*, inquit, *ut Lampsacum diruas*. Haec velocitas sagacitatis oppidum exitio subtraxit.

210 **De vitiis hominum.**

Peras imposuit Juppiter nobis duas:
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus;
Alii simul delinqunt, censores sumus.

211 Iustitia sine prudentia multum poterit; sine justitia nihil valebit prudentia.

212 Quid est tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines?

213 Augustus, summum imperium Romae adeptus, nepotes suos litteras aliaque rudimenta per se plerumque docuit.

214 Principis est virtus maxima nosse suos.

215 Alexander cum nullo hostium unquam congressus est, quem non vicerit; nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit; nullam gentem adiit, quam non calcaverit.

216 O magna vis veritatis, quae contra hominum ingenia, calliditatem, sollertiam contraque fictas omnium insidias facile se per se ipsa defendat!

217 Mortuos cremare apud Romanos non fuit veteris instituti: terra condebantur. At postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum.

218 Hic, ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbae
Et paucae pecudes et casa rara fuit.

219 Romani regibus parere iam a condita urbe didicerunt.

220 C. Manlio, quum dictatur fuisset, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset: criminabatur etiam, quod Titum filium ab hominibus relegasset et ruri habitare jussisset. Quod quum audivisset adolescens filius negotium exhiberi patri, accurrisse Romam et cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur. Cui quum esset nunciatum, qui illum iratum illaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur, surrexit e luctulo remotisque arbitris ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est confestim gladium destrinxit juravitque, se illum statim interfecturum, nisi jus jurandum dedisset, se patrem missum esse facturum. Juravit hoc coactus terrore Pomponius; rem ad populum detulit: docuit, cur sibi causa desistere necesse esset; Manlium missum fecit. Atque hic T. Manlius est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto cognomen invenit Torquati.

221 Quocumque te flexeris, ibi deum videbis occurentem tibi: nihil vacat ab illo; opus suum ipse implet.

222 Argiae sacerdotis Cleobis et Biton filii praedicantur. Nota fabula est. Quum enim illam ad solemne et statum sacrificium curro vehi jus esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta, tunc juvenes ii, quos modo nominavi, veste posita, corpora oleo perunxerunt, ad jugum acceserunt. Ita sacerdos advecta in fanum, quum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur, ut id iis praemii daret pro pietate, quod maximum homini dari posset a deo: post epulatos cum matre adoloscentes somno se dedisse, mane inventos esse mortuos.

223 Pausanias Lacedaemonius,

vitiis obrutus, et Spartam et ceteram Graeciam sub potestatem Persarum regis redacturus erat. Victoria

enim Plataea elatus plurima miscere coepit et majora concupiscere. His rebus Ephori cognitis, iusserunt eum comprehendi. At ille in aedem Minervae confugit. Hinc ne exire posset, statim Ephori valvas eius aedis obstruxerunt tectumque sunt demoliti, quo celerius sub dio interiret. Dicitur, eo tempore matrem Pausaniae vixisse, eamque jam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis, ad filium claudendum, lapidem ad introitum aedis attulisse. Hic cum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit.

224 Nonne satius est mutum esse, quam quod nemo intelligat dicere?

225 **Diagoras Rhodius**

tres filios adoloscentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem, eosqueomnes vidit vincere coronarique eodem Olympiae die. Et quum ibi eum tres adoloscentes amplexi, coronis suis in caput patris positis suaviarentur, quumque populus gratulabundus flores undique in eum jaceret, ibi in stadio in spectante populo in osculis atque in manibus filiorum animam efflavit.

226 Midae Phrigio, quum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana congesserunt. Ditissimum fore praedictum est: quod evenit. At Platoni, quum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est, singulari illum suavitate orationis fore. Ita futura eloquentia provisa in infante est.

227 Cura pii dis sunt, et qui coluere coluntur.

228 Argentum et aurum propitii, an irati dii Germanis negaverint, dubito.

229 **Porcia,**

Marci Catonis Uticensis filia, quum apud Philippos victum et interemptum virum Brutum cognosceret,

quia ferrum, quod poscebat ad mortem sibi inferendam, non dabatur, ardentes carbones ore haurire non dubitavit, muliebri spiritu virilem patris exitum imitata.

229 **Draco Atheniensis**

leges, quibus Athenienses uterentur, primus omnium tulit, sanguine potius quam atramento scriptas, ut ait Demades.

230 Ludo et joco uti quidem licet, sed tum, quum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. In ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.

231 **Alexander,**

victo apud Issum Dario, ad matrem coniugemque eius praemisit quosdam e suis, qui nunciarent ipsum venire ad eas visendas; moxque earum tabernaculum intravit cum Hephaestione. Is longe omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter educatus, secretorum omnium arbiter: libertatis quoque in admonendo eo non alius jus habebat; quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur: et sicut aetate par erat regi, ita corporis habitu praestabat. Ergo reginae, illum regem esse ratae, Persarum more veneratae sunt. Inde erroris admonita, Sysigambis, Darii mater, advoluta est pedibus Alexandri, ignorationem nunquam antea visi excusans. Quam manu allevans rex: *Non errasti*, inquit, *mater, nam et hic Alexander est.* — Idem inter spolia unguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisque ac margaritis pretiosum, varios ejus usus amicis demonstrantibus: *Imo hercule,* inquit, *librorum Homeri custodiae detur*: ut pretiosissimum humani animi opus quam maxime diviti opere servaretur. Item Pindari

vatis familiae penatibusque jussit parci, quum Thebas caperet.

232 Hic murus aheneus esto;
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

233 Pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania eius generis sunt, ex quibus verum nonnunquam inveniatur.

234 Syracusarum descriptio.

Urbem Syracusas maximam esse Graecarum, pulcherrimam omnium in Sicilia, constans fama est. Est ita, ut dicitur. Nam et situ est quum munito, tum ex omni aditu, vel terra vel mari, praeclaro ad adspectum, et portus habet prope in aedificatione adspectuque urbis inclusos; qui, quum diversos inter se aditus habeant, in exitu coniunguntur et confluunt. Eorum coniunctione pars oppidi, quae appelatur Insula, mari dijuncta angusto, ponte rursus adiungitur et continetur. — Ea tanta est urbs, ut ex quattuor urbibus maximis constare dicatur: quarum una est ea, quam dixi Insula, quae duobus portubus cincta in utriusque portus ostium aditumque proiecta est; in qua domus est, quae Hieronis regis fuit, qua praetores uti solent. In ea sunt aedes sacrae complures, sed duae, quae longe ceteris antecellant, Dianae, et altera, quae fuit ante Verris adventum ornatissima, Minervae. In hac insula extrema est fons aquae dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium, qui fluctu totus operiretur, nisi munitione et mole lapidum dijunctus esset a mari. Altera autem est urbs Syracusis, cui nomen Achradina est; in qua forum maximum, pulcherrimae porticus, ornatissimum prytaneum, amplissima est curia templumque egregium Iovis Olympii ceteraeque urbis partes, quae una via lata perpetua multisque transversis divisae privatis

aedificiis continentur. Tertia est urbs, quae, quod in ea parte Fortunae fanum antiquum est, Tycha nominata est, in qua gymnasium amplissimum est et complures aedes sacrae, coliturque ea pars et habitatur frequentissime. Quarta autem est, quae, quia postremo coaedificata est, Neapolis nominatur; quam ad summam theatrum maximum: praeterea duo templa sunt egregia, Cereris unum, alterum Liberae signumque Apollinis pulcherrimum et maximum: quod Verres, si portare potuisset, non dubitasset auferre.

235 **Lautumiae Syracusanae,**

quales fuerint, accipite. Opus est ingens, magnificum regum ac tyrannorum: totum est e saxo in mirandam altitudinem depresso et multorum operis penitus exciso: nihil tam clausum ad exitum, nihil tam saeptum undique, nihil tam tutum ad custodiam nec fieri nec cogitari potest. In has lautumias bello Peloponnesiaco captivi Athenienses coniecti sunt et postea tempore, quo Sicilia Romanis parebat, si qui publice custodiendi erant, etiam ex ceteris oppidis Siciliae deduci imperabantur.

236 Corporis exigui vires contemere noli;
Consilio pollet, cui vim natura negavit.

237 Orestis et Pyladis amicitia immortalem apud posteros famam adepta est. Quid enim celebratum magis, quam illorum coram rege Thoante contentio, uter moreretur? dum alter niteretur ab altero depellere crimen et criminis poenam atque in se transferre: quum, ignorante rege, uter eorum esset Orestes, Pylades Orestem esse se diceret, ut pro illo necaretur: Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret.

238 Ver tanquam adolescentiam significat ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt.

239 Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones:
Ut te ipsum serves, non expergisceris, segnis?

240 Alexander moriens detractum annulum digito Perdiccae tradidit. Quaerentibus amicis, cui relinqueret regnum, respondit: Ei, qui esset optimus.

241 Adspice jucundo labentes murmure rivos;
Adspice tondentes fertile gramen oves.

242 **Epaminondas Thebanus**

erat modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Idem continens clemens patiensque admirandum in modum; non solum populi, sed etiam amicorum ferrens iniurias, imprimis commissa celans, studiosus audiendi; ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Idem in pugna apud Mantineam commissa quum animadverteret mortiferum se volnus accepisse, simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum, usque eo retinuit, quoad renuntiatum est, vicisse Boeotios. Id postquam audivit: *Satis*, inquit, *vixit, invictus enim morior*. Tum ferro extracto confestim exanimatus est.

244 Damon et Phintias, Pythagorei, hoc animo inter se fuerunt, ut, quum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset, vas fieret alter eius sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui, quum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus petivit, ut se ad amicitiam tertium adscriberent.

245 **Cimon Atheniensis**

fuit tanta liberalitate; ut, quum compluribus locis praedia hortosque haberet, numquam in iis custodem imposuerit, fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus eius rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Semper eum pedisequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis eius indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Saepe, quum aliquem videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic coena ei coquebatur, ut quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere nullum diem praetermittebat. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit; multos locupletavit: complures pauperes mortuos, qui unde efferrentur non reliquissent, suo sumtu extulit. Sic se gerendo minime est mirandum, si et vita eius fuit secura et mors acerba.

246 **Titus Imperator.**

amor ac deliciae generis humani appellatus est. Admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam praestare posset, non oportere, ait, quemquam a sermone principis tristem discedere. Atque etiam recordatus quondam super coenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi!

247 Non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt; ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequidquam deos implores; irati infestique sunt.

248 Quas naturas negat, praestant ars curaque dotes.

249 Inexplebilis honorum Marii fames erat initium et causa belli civilis.

250 Urbem cuidam Alexander donabat. Quum ille, cui

donabatur, tantum munus recusaret, diceretque non convenire fortunae suae: *Non quaero*, inquit, *quid te accipere deceat, sed quid me dare.*

251 Saepae Jovem vidi, quum jam suam mittere vellet
Fulmina, ture dato, sustinuisse manum.

252 Quum animi conscientia improbi excruciantur, tum etiam poenae timore, qua aut afficiuntur, aut semper sunt in metu, ne afficiantur aliquando.

253 Ab Antigono Cynicus quidam petiit talentum. Respondit, plus esse, quam quod Cynicus petere deberet. Repulsus petiit denarium. Respondit rex, minus esse, quam quod regem deceret dare. Invenit, quomodo neutrum daret.

254 **Ut honesta Minucium subieret poenitentia.**

Q. Minucius Rufus magister equitum quum ob temeritatem ab Hannibale victus esse, nisi Q. Fabius Maximus dictator repente velut caelo dimissus ad auxilium venisset, convocatis militibus « *Saepe ego* » inquit, « *audivi, milites, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit, secundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere sciat, eum extremi ingenii esse. Nobis quoniam prima animi ingeniique negata sors est, secundum ac mediam teneamus, et dum imperare discimus, parere prudenti in animum inducamus. Castra cum Fabio jungamus: ad praetorium ejus signa quum contulerimus, ubi ego eum parentem appellavero, quod beneficio eius erga nos ac majestate eius dignum est, vos, milites, eos, quorum vos modo arma, dexterae texerunt, patronos salutabitis, et, si nihil aliud, gratorum certe nobis animorum gloriam dies hic dederit* ». Signo dato conclamatur inde, ut colligantur vasa. Profecti et agmine incedentes ad dictatoris castra in admirationem et ipsum et omnes, qui circa erant, converterunt. Ut constituta sunt ante tribunal signa, progressus ante alios

magister equitum, quum patrem Fabium appellasset circumfusosque militum Fabii totum agmen Minucii patronos consalutasset, magister equitum sub imperium dictatorisr ediit. Tum dextrae interiunctae, militesque, concione dimissa, ab notis ignotisque benigne atque hospitaliter invitati laetusque dies ex admodum tristi paullo ante ac prope exitiabili factus.

255 Non datur ad Musas currere lata via.

256 Alexandro, Orientis victori, Corinthii per legatos gratulati sunt et civitate illum sua donaverunt. Quum risisset Alexander hoc officii genus, unus ex legatis: *Nulli*, inquit, *civitatem unquam dedimus, quam tibi et Herculi.* Tum Alexander libens accepit honorem: et legatos invitatione aliaque humanitate prosecutus cogitavit, non qui sibi civitatem darent, sed cui dedissent.

257 Consuetudinis magna vis est: pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur: pugiles caestibus contusi ne ingemiscunt quidem.

258 Ipsae ferae officia sentiunt: nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiges et in amorem tui vertas. Leonum ora a magistris impune tractantur: elephantorum feritas cibo mitescit.

259 Instrue praeceptis animum, nec discere cesses,
Nam sine doctrina vita est quasi mortis imago.

260 Sanctius ac reverentius visum est Romanis, de actis deorum credere, quam scire.

261 Hostium repens adventus magis aliquanto conturbat, quam exspectatus: et maris subita tempestas, quam ante provisa, terret navigantes vehementius, et eiusmodi sunt pleraque.

Minuti
Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio.

262 Leonidas Lacedaemonius,

cum trecentis civibus apud Thermopylas obiectus Xerxi in Graeciam irrumpenti cum innumerabili

militum copia, maluit occumbere dimicando, quam assignatam sibi a patria stationem deserere. Ideoque tam alacri animo cohortatus est suos ad (id) proelium, quo perituri erant, ut diceret: *Sic prandete, commilitones, tanquam apud inferos coenaturi.* Mors erat (denunciata) trecentis illis Lacedemoniis: nec victoriam sperabant, nec reditum: ille locus iis sepulcrum futurus erat. Perinde tamen ac victoria esset promissa, ductori intrepide paruerunt.

263 (Elogium Laconum in Thermopylis caesorum.)

Dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentes,
Dum sanctis patriae legibus obsequimur.

264 Ante Salamina ipsam Neptunus obruet, quam Salaminii tropaei memoriam, priusque Boeotia Leuctra tollentur, quam pugnae Leuctricae gloria.

265 De Aenea et Antenore in Italiam venientibus.

Troia capta, in ceteros saevitum est Troianos: duobus, Aeneae Antenorique, pepercerunt Achivi, quia et veteres erant hospites, et, Helenam esse reddendam, semper censuerant. Antenor post varios casus cum multitudine Henetorum, ex Paphlagonia pulsa, venit in intimum maris Hadriatici sinum. Pulsis incolis, Heneti, Troianique eas tenuerunt terras; gens universa Veneti est appellata. Aeneam ad maiorum rerum initia ducebant fata. Is, quum sedes quaereret, primo in Macedoniam venerat, inde in Siciliam delatus est, ab Sicilia classem ad Laurentem agrum appulit. Ibi egressis Troianis ab immenso errore nihil praeter arma et naves supererat. Jam quum praedam ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea tenebant loca, armati ex urbe atque agris concurrunt, ut vim advenarum arcerent. Quum armatae acies constitissent, procedit Latinus inter

primores ducemque advenarum ad colloquium evocat. *Qui mortales,* inquit, *estis? unde venistis? cur domo estis profecti? cur in agrum Laurentem exiistis?* Cui Aeneas *Multitudo* inquit, *Troiana est, dux ego Aeneas, filius Anchisae et Veneris. Cremata patria, domo profugimus; sedem condendaeque urbis locum quaerimus.* Latinus, admiratus et nobilitatem gentis virique et animum vel bello vel paci paratum, dextra data fidem futurae amicitiae sancit. Inde foedus icitur inter duces; inter exercitus fit salutatio. Aeneam Latinus hospitio accipit. Apud penates deos domesticum pubblico adiungit foedus, filia Aeneae in matrimonium data. Ea res utique Troianis spem affirmat tandem stabili certaque sede finiendi erroris. Oppidum condunt; Aeneas ab nomine uxoris Lavinium appellat. Brevi stirps quoque virilis ex novo matrimonio fuit, cui Ascanium parentes dixerunt nomen.

266 Magnis veterum scriptorum laudibus celebrata est Cynegiri, militis Atheniensis, gloria; qui, quum in campis Marathoniis, duce Miltiade, magnam Persarum caedem fecisset hostesque fugientes ad naves egisset onustam navem dextra manu tenuit, nec prius dimisit, quam manum amitteret. Amputata dextra, navem sinistra comprehendit. Quam et ipsam quum amisisset, ad postremum morsu navem detinuit. Tantam in eo virtutem fuisse narrant, ut non tot caedibus fatigatus, non duabus manibus amissis victus, truncus ad postremum, veluti et rabida fera, dentibus dimicaverit.

267 Suum cuique pulchrum est: adhuc neminem cognovi poetam, qui sibi non optimus videretur: te tua, me delectant mea.

268 De Themistocle.

Themistocles Atheniensis vitia ineuntis adoloscentiae magnis emendavit virtutibus. Quum enim a patre

exheredatus esset, quod et liberius vivebat et rem familiarem neglegebat, haec contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam quum iudicasset, sine summa industria non posse eam exstingui, totum se dedidit rei pubblicae, diligentius amicis famaeque serviens. Multum in iudiciis privatis versabatur, saepe in concionem populi prodibat. Nulla res maior sine eo gerebatur. Celeriter, quae opus erant, reperiebat. Neque minus in rebus gerendis promptus, quam excogitandis erat, quod et de instantibus verissime judicabat et de futuris callidissime conjiciebat. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur.

Honestissima ambitione incensus noctu ambulabat in pubblico, quod somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat, *Miltiadis tropaeis se e sommo suscitari.*

Mox maiorem etiam gloriam assecutus est, quam ille, quem aemulatus erat. Bello enim secundo, quod cum Persis fuit, classis communis Graeciae trecentarum navium, in qua ducentae erant Atheniensium, primum ad Artemisium cum classiariis regis conflixit. Angustias enim Themistocles quaerebat, ne multitudine circumiretur. Hic etsi pari proelio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere. Itaque ab Artemisio discesserunt et exadversum Athenas apud Salaminam classem suam constituerunt.

At Xerxes Thermopylis expugnatis protinus accessit Athenas easque nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit. Cuius flamma perterriti classiarii quum manere non auderent et plurimi hortarentur, ut domos suas discederent moenibusque se defenderent, Themistocles unus restitit et universos pares esse posse ajebat, dispersos testabatur perituros, idque Eurybiadi, regi Lacedaemoniorum, fore affirmabat. Quem quum minus quam vellet moveret, noctu de servis suis, quem habuit fidelissimum, ad regem misit, ut ei

nuntiaret suis verbis, adversarios eius esse in fuga. Qui si discessissent, maiore cum labore et longinquiore tempore bellum confecturum, quum singulos consectari cogeretur; quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. Hoc eo valebat, ut ingratis ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita barbarus, nihil doli subesse credens, postridie alienissimo sibi loco contrā opportunissimo hostibus, adeo angusto mari conflixit, ut eius multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo est magis etiam consilio Themistoclis, quam armis Graeciae.

Hic etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam his opprimere posset hostes. Iterum a Themistocle gradu depulsus est. Nam hic verens, ne rex bellare perseveraret, certiorem eum fecit, id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur ac reditu in Asiam excluderetur; idque ei persuasit. Itaque qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus tringinta in Asiam reversus est seque a Temistocle non superatum, sed conservatum iudicavit. Sic unius viri prudentia Graecia liberata est, Europaeque succubuit Asia. Haec altera victoria, quae cum Marathonio possit comparari, tropaeo. Nam pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima post hominum memoriam classis est devicta. His duabus victoriis Athenienses tantam gloriam apud omnes gentes sunt consecuti, ut intelligerent Lacedaemonii, de principatu sibi cum his certamen fore. Quare eos quam infirmissimos esse volebant.

Post victoriam Salaminiam Themistocles dixit in concione, se habere consilium reipublicae salutare, sed id sciri non opus esse. Postulavit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus est Aristides. Huic ille, classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse; quo facto

frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset. Quod Aristides quum audisset, in concionem magna exspectationem venit dixitque, perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt: totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt.

Themistocles, quamvis de republica optime meritus esset, tamen non effugit civium suorum invidiam. Namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragis e civitate ejectus, Argos habitatum concessit, unde, quod non satis tutum se Argis videbat, ad Admetum, Molossorum regem, cum quo ei hospitium erat, confugit. Quum etiam hic ab Atheniensibus et Lacedaemoniis exposceretur publice, rex supplicem non prodidit monuitque, ut consuleret sibi. Itaque Themistocles exul navem omnibus ignotus nautis escendit. Quae quum tempestate maxima Naxum ferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus: sensit Temistocles, si eo pervenisset, sibi esse pereundum. Hac necessitate coactus domino navis, qui sit, aperit multa pollicens, si se conservasset. At ille, clarissimi viri captus misericordia, diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in ancoris, neque quemquam ex ea exire passus est. Inde Ephesum pervenit ibique Themistoclem exponit: cui ille pro meritis postea gratiam retulit.

Tum adiit Artaxerxem, quum epistolam his verbis ad eum misisset: *Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, quum diu mihi necesse fuit adversum patrem tuum bellare patriamque meam defendere. Idem multo plura bono feci, postquam in tuto ipse et ille in periculo esse coepit. Nunc autem confugi ad te, exagitatus a cuncta Graecia, tuam petens amicitiam. Quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis quam fortem ini-*

micum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, quas tecum colloqui volo, annuum mihi tempus des eoque transacto ad te venire patiaris.

Huius rex animi magnitudinem admirans cupiensque talem virum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne illud tempus literis sermonique Persarum se dedidit: quibus adeo eruditus est, ut multo commodius dicatur apud regem verba fecisse, quam ii poterant, qui in Perside erant nati. Hic quum multa regi esset pollicitus gratissimumque illud, si suis uti consiliis vellet, illum Graeciam bello oppressurum: magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit domiciliumque Magnesiae sibi constituit.

Namque hanc urbem ei rex donaverat his quidem verbis, quae ei panem praeberet, ex qua regione quinquaginta talenta quotannis redibant: Lampsacum autem, unde vinum sumeret, Myunta, ex qua opsonium haberet. Magnesiae Themistocles morbo mortuus est. Fama fuit, venenum sua sponte sumsisse, quum se quae regi de Graecia opprimenda pollicitus esset, praestare posse desperaret. Ossa ejus clam in Attica ab amicis sunt sepulta, quoniam legibus non concedebatur, quod proditionis erat damnatus.

269 **De versatili Alcibiadis ingenio.**

In Alcibiade Atheniensi, quid natura efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. Natus in amplissima civitate, summo genere: omnium aetatis suae multo formosissimus, ad omnes res aptus consiliique plenus (namque imperator fuit summus et mari et terra); disertus, ut in primis dicendo valeret (quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere), dives. Quum tempus po-

sceret, laboriosus, patiens; liberalis, splendidus, non minus in vita quam victu; affabilis, blandus, temporibus callidissime serviens. Idem simul ac se remiserat, neque causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur, in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam.

Hunc virum infamatum ob res publice gestas gravissimi quidam historici summis laudibus extulerunt. Quum enim Athenis splendidissima civitate natus esset, omnes eum splendore ac dignitate superasse vitae. Postquam inde expulsus Thebas venerit, adeo studiis eorum inservisse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset aequiparare: omnes enim Boeotii magis firmitati corporis quam ingenii acumini inserviunt. Eundem apud Lacedaemonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, sic duritiae se dedisse, ut parsimonia victus atque cultus omnes Lacedaemonios vinceret. Fuisse apud Threcas, homines vinolentos rebusque venereis deditos: hos quoque in his rebus antecessisse. Venisse ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriose vivere: horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi eum in his maxime admirarentur. Quibus rebus effecisse, ut apud quoscunque esset, princeps poneretur habereturque carissimus.

270 Absentem qui rodit amicum
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu,..... caveto.

271 O volucrem fortunam! quam cito omnia ex laetitia et voluptate ad luctum et lacrimas recidunt!

272 Capua, Campaniae urbs, prona semper in luxuriam fuit non ingeniorum modo vitio, sed etiam affluenti copia voluptatium, quas longa indulgentia fortunae

et loci amoenitas subministrabant. Quum illuc iter flexisset Annibal, victis ad Cannas Romanis, ibi partem maiorem hiemis exercitum in tectis habuit, adversus omnia humana mala saepe ac diu duratum, bonis inexpertum atque insuetum. Itaque, quos nulla mali vicerat vis, perdidere nimia bona et voluptates immodicae. Somnus enim et vinum et epulae et scorta balineaque et otium ita enervaverunt corpora animosque, ut vires ademerint ad vincendum, et Marcellus vera dixisse videatur; Capuam Annibali Cannas fuisse. Ibi virtutem bellicam, ibi militarem disciplinam, ibi praeteriti temporis famam, ibi spem futuri exctintam.

273 Praeter culpam ac peccatum homini accidere nihil potest, quod sit horribile aut pertimescendum.

274 Nihil est honestius magnificentiusque quam pecuniam contemnere, si non habeas; si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre.

275 Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit;
Et minus hanc optat, qui non habet.

276 Ut secunda moderate tulimus, sic adversam fortunam fortiter ferre debemus.

277 Soles occidere et redire possunt:
Nobis, cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

278 Contemplatus Cato maior M'. Curii villam, quae non longe aberat a sua, admirari satis non poterat vel hominis ipsius continentiam, vel temporum disciplinam. Huic Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites quum attulissent, repudiati ab eo sunt. Non enim, aurum habere praeclarum sibi videri dixit; sed iis, qui haberent aurum, imperare.

279 Est non modo liberale, paullum nonnunquam de suo jure decedere, sed interdum etiam fructuosum.

280 **Philippus Aristoteli salutem dicit.**

Filium mihi genitum scito. Quod equidem diis habeo gratiam: non proinde quia natus est, quam pro eo, quod eum nasci contigit temporibus vitae tuae. Spero enim fore, ut eductus eruditusque abs te dignus existat et nobis et rebus a me susceptis.

281 Phocion Atheniensis, etsi saepe exercitibus praefuit summosque magistratus cepit, tamen multo eius notior integritas vitae quam rei militaris labor. Itaque huius memoria est nulla, illius autem magna fama, ex quo cognomine Bonus est appellatus. Fuit enim perpetuo pauper, quum ditissimus esse posset. Hic quum a rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret, legatique hortarentur accipere simulque admonerent, si ipse facile careret pecunia, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam, his ille: Si mei similes erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.

282 Quum iuvenes relaxare animos et dare se iucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiae.

283 Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis.

284 Gyges, regius pastor, quum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animadvertit, cuius lateribus fores essent: quibus apertis hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata anulumque aureum in digito: quem, ut detraxit, ipse induit; tum in concilium se pastorum recepit. Ibi quum palam eius anuli ad palmam converterat, a nullo videbatur, ipse autem omnia videbat; idem rursus videbatur, quum in locum anulum inverterat. Itaque

hac opportunitate anuli usus, regina adiutrice regem dominum, Candaulem, interemit; sustulit quos obstare arbitrabatur; nec in his eum facinoribus quisquam potuit videre. Sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiae. — Hunc ipsum anulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet.

285 Est via sublimis, coelo manifesta sereno:
Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.

286 Jacet corpus dormientis ut mortui.

287 Libidinosa et intemperans adolescentia effetum corpus tradit senectuti.

288 Flumina pauca vides de magnis fontibus orta;
Plurima collectis multiplicantur aquis.

289 Xenocrates, quum legati ab Alexandro quinquaginta ei talenta attulissent, quae erat pecunia temporibus illis maxima, abduxit legatos ad coenam in academiam; iis apposuit tantum, quod satis esset, nullo apparatu. Quum postridie rogarent eum, cui numerari iuberet: Quid? vos hesterna, inquit, coenula non intellexistis, me pecunia non egere? Quos quum tristiores vidisset, xxx minas accepit, ne aspernari regis liberalitatem videretur.

290 Littora nativis praelucent picta lapillis:
Et volucres nulla dulcius arte canunt.

291 Fit, nescio quo pacto, ut magis in aliis cernamus, si quid delinquitur, quam in nobismet ipsis.

292 Quo Alexandrum vinolentia deduxerit.

Alexander ingentia animi bona, illam indolem, qua omnes reges antecessit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, in deditos fidem, in captivos clementiam, in voluptatibus permissis quoque et usitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate foedavit. Dario hoste et aemulo regni reparante tum maxime bellum,

Alexander de die inibat convivia, quibus feminae intererant. Ex his una Thais, et ipsa temulenta, maximam eum apud omnes Graecos initurum gratiam affirmat, si regiam Persarum iussisset incendi: exspectare hoc eos, quorum urbes barbari delessent. Ebriae feminae de tanta re ferenti sententiam unus et alter, et ipsi mero onerati, assentiuntur. Rex quoque avidior fuit, quam patientior: *Quin igitur ulciscimur Graeciam et urbi facem subdimus?* Omnes incaluerant mero: itaque surgunt temulenti ad incendendam urbem, cui armati pepercerant. Primus rex ignem regiae injecit, tum convivae et ministri feminaeque. Multa cedro aedificata erat regia: quae celeriter igne concepto, late fudit incendium. Quod ubi exercitus, qui haud procul urbe tendebat, conspexit, fortuitum ratus, ad opem ferendam concurrit. Sed ut ad vestibulum regiae ventum est, vident regem ipsum adhuc aggerentem igni faces. Omissa igitur, quam portaverant, aqua, aridam materiem in incendium jacere coeperunt. Hunc exitum habuit Persepolis, regia totius orientis, unde tot gentes antea iura petebant, patria tot regum, unicus quondam Graeciae terror, molita mille navium classem et exercitus, quibus Europa inundata est. Pudebat Macedones, tam praeclaram urbem a comissabundo rege deletam esse. Ipsum, ut primum gravatam ebrietate mentem quies reddidit, poenituisse constat et dixisse, maiores poenas Persas Graecis daturos fuisse, si ipsum in solio regiaque Xerxis conspicere coacti essent. Hinc in regionem Mediae transiit, ubi supplementum novorum e Cilicia militum occurrit. His copiis auctus Darium persequi statuit.

293 Natura (id est deus optimus maximus, omnium rerum opifex), alias bestias nantes aquarum incolas esse voluit, alias volucres coelo frui libero, serpentes quasdam, quasdam esse gradientes, earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas, immanes alias,

quasdam autem cicures, nonnullas abditas terraque tectas. Et quum ceteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit ad coelique quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitavit. Atque hoc uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos et quod exprimere dicendo sensa possumus. Quamobrem quis in eo non elaboret, ut quo uno maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat?

294 Priusquam incipias consulto, et, ubi consulueris, mature facto opus est.

295 Xerxes, refertus omnibus praemiis donisque fortunae, non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri contentus, praemium proposuit (ei), qui invenisset novam voluptatem. Qua ipsa non fuit contentus; neque enim umquam finem inveniet libido.

296 Megaram Demetrius ceperat, cui cognomen Poliorcetes fuit. Ab hoc Stilpo philosophus interrogatus, num quid perdidisset? « Nihil, inquit; omnia namque mea mecum sunt ». Atqui et patrimonium eius in praedam cesserat, et filias rapuerat hostis, et patria in alienam dicionem venerat. Ille tamen nihil se damni passum fuisse testatus est. Habebat enim secum vera bona, doctrinam et virtutem in quae hostis manum injicere non poterat. Omnium enim bonorum extrinsecus adfluentium lubrica et incerta possessio est.

297 Legibus et praemia proposita sunt virtutibus et suppliicia vitiis.

298 Timoleon Corinthius

magnus omnium iudicio vir extitit. Namque huic uni contigit, ut patriam oppressam a tyranno liberaret. Nam quum frater eius Timophanes tyrannidem Corinthi occupasset, et ipse particeps regni

posset esse, tantum abfuit a societate sceleris, ut antetulerit civium suorum libertatem fratris saluti et patriae legibus obtemperare sanctius duxerit, quam imperare patriae. Hac mente, fratrem tyrannum interficiendum curavit. Idem missus a Corinthiis ad ferendam opem Syracusanis, incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit; civitatibus leges libertatemque reddidit; ex maximo bello tantum otium toti insulae conciliavit, ut conditor urbium earum videretur. Quum tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset, tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret, maluit se diligi, quam metui. Itaque, quum primum potuit, imperium deposuit, et privatus Syracusis, quod reliquum vitae fuit, vixit.

299 Medicus Pyrrhi nocte ad Fabricium venit, promittens, veneno se Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur. Quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum. Tum rex admiratus eum, dixisse fertur: Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo averti potest!

300 Qui fit, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?

301 Uno et eodem temporis puncto nati dissimiles et naturas et vitas habent.

302 Habenda ratio valetudinis; utendum exercitationibus modicis; tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.

303 **Diocletianus**

sponte depositis imperialibus fascibus, in propriis agris consenuit. Quum aliquando ab Herculio et Galerio excitaretur ad recipiendum imperium, illud tanquam pestem detestans, hoc respondit: Utinam

Salonae possetis visere olera nostris manibus consita; profecto numquam illud tentandum iudicaretis.

304 Quum Timotheus, Cononis filius, Atheniensis, adolescentulus Athenis causam diceret, non solum amici privatique hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in eis Jason, tyrannus Thessaliae, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic quum in patria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo praesidio venit tantique hospitem fecit, ut mallet se capitis periculum adire, quam Timotheo de fama dimicanti deesse. Hunc adversus tamen Timotheus postea populi iussu bellum gessit: patriae sanctiora iura, quam hospitii esse duxit.

305 Non solum ex malis minima oportet eligere, sed etiam excerpere ex his ipsis si quid insit boni.

306 Rara quidem est virtus, quam non fortuna gubernet,
Quae maneat stabili, quum fugit illa, pede.

307 Inventi multi sunt, qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent, iidem gloriae iacturam ne minimam quidem facere vellent, ne republica quidem postulante: ut Callicratidas, qui, quum Lacedaemoniorum dux esset Peloponnesiaco bello multaque fecisset egregie, vertit ad extremum omnia, quum consilio non paruit eorum, qui cum Atheniensibus non dimicandum putabant. Quibus ille respondit: Lacedaemonios, classe illa amissa, aliam parare posse; se fugere sine suo dedecore non posse.

308 Mater Lacaena, clipeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc, redi.

309 Non licebat vinum feminis Romae bibere. Mecenii uxor, quod vinum biberat e dolio, interfecta est a marito isque caedis a Romulo absolutus.

310 Vix mihi credetis, sed credite; Troia maneret,
Praeceptis Priami si foret usa senis.

311 Non terret sapientem mors, quae propter incertos

casus quotidie imminet, propter brevitatem vitae nunquam longe potest abesse. Pellantur ergo istae ineptie paene aniles, ante tempus mori miserum esse. Quod tandem tempus? Naturaene? At ea quidem dedit usuram vitae, tamquam pecuniae, nulla praestituta die. Quid est igitur, quod querare, si repetit, quum vult? Ea enim condicione acceperas. Iidem, si puer parvus occidit, aequo animo ferendum putant: si vero in cunis, ne querendum quidem. Atqui ab hoc acerbius exegit natura, quod dederat. Nondum gustaverat, inquiunt, vitae suavitatem: hic autem iam sperabat magna, quibus frui coeperat. At in ceteris rebus melius putatur attingere aliquam partem, quam nullam. Cur in vita secus? Quanquam non male ait Callimachus, multo saepius lacrymasse Priamum, quam Troilum. — Quae vero aetas longa est? aut quid homini longum? Nonne senectus assecuta est modo pueros, modo adolescentes? Apud Hypanim fluvium, qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait bestiolas quasdam nasci, quae unum diem vivant. Ex his igitur, hora octava quae mortua est, provecta aetate mortua est: quae vero occidente sole, decrepita. Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate, in eadem propemodum brevitate, qua illae bestiolae reperiemur.

312 Exemplo virtus bene discitur atque docetur.

313 Quum Canus Julius cum Caio Caesare Caligula diu altercatus fuisset, abeunti Phalaris ille dixit: « Ne forte inepta spe tibi blandiaris, ad supplicium te duci iussi ». *Gratias*, inquit alter, *ago, optime princeps.* Decem dies medios usque ad supplicium sine ulla sollicitudine exegit. Verisimile non est, quae vir ille dixerit, quae fecerit, quam in tranquillo fuerit. Ludebat latrunculis, quum centurio, agmen periturorum trahens, illum quoque excitari iubet. Vocatus, numeravit calculos et sodali suo: *Vide*, inquit, *ne post mortem meam mentiaris, te vicisse.* Tum annuens centurioni: *Testis*, inquit, *eris, uno me antecedere.*

314 Oderunt peccare boni virtutis amore.

315 Quum quaesitum esset ex Socrate, nonne Archelaum, qui tum fortunatissimus habebatur, beatum putaret? « *Haud scio*, inquit: *nunquam enim cum eo collocutus sum* ». « An tu aliter id scire non potes? » « *Nullo modo* ». « Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit? » « *An ego possim, quum ignorem, quam si doctus, quam vir bonus?* » « Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas? » « *Ita prorsus existimo, bonos beatos, improbos miseros* ». « Miser ergo Archelaus? » « *Certe, si iniustus* ».

316 Semper in proelio iis maximum est periculum, qui maxime timent: audacia pro muro habetur.

317 Invidus alterius macrescit rebus opimis.

318 Quum de Simonide quaesivisset tyrannus Hiero, quid esset Deus, deliberandi sibi unum diem postulavit. Quum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit. Quum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret? *Quia*, inquit, *quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.*

319 Minabatur Theodoro philosopho tyrannus mortem et quidem insepultam. Cui Theodorus: *O te ineptum, si putas interesse, supra terram, an infra putrescam!*

320 Levius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas.

321 Solo, quum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse.

322 Polycratem Samium felicem appellabant. Nihil acciderat ei, quod nollet, sed omnes eius conatus prospere procedebant: vota nuncupabantur simul et solvebantur: velle ac posse in aequo positum erat. Semel dumtaxat vultum mutavit, tunc quum admodum gratum sibi anulum de industria, ne omnis incommodi expers esset, in mare abiecit. Quem tamen continuo recuperavit, capto pisce, qui eum de-

voraverat. Sed hunc, cuius felicitas semper plenis velis prosperum cursum tenuit, Orontes, Darii regis praefectus, cruci affixit.

323 Dolor esse videtur acerrimus virtuti adversarius. Huic igitur succumbet virtus? Quam turpe, o di boni! Pueri Spartiatae non ingemiscunt verberum dolore laniati. Adolescentium greges Lacedaemone incredibili contentione certabant pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique, ita ut exanimarentur, priusquam se victos faterentur. Qui apud Indos sapientes habentur, nudi aetatem agunt et Caucasi nives hiemalemque vim perferunt sine dolore: quumque ad flammam se applicaverunt, sine gemitu aduruntur. Mulieres vero in India, quum est cuius earum vir mortuus, in certamen veniunt, quam plurimum ille dilexerit: plures enim singulis solent esse nuptae. Quae est victrix, ea laeta una cum viro in rogum imponitur: victae moestae discedunt.

324 Xenophon, quum solemne sacrum faceret, filium apud Mantineam in proelio cecidisse cognovit; nec ideo inceptum Deorum cultum omisit, sed tantummodo coronam deponere contentus fuit. Percontatus deinde, quonam modo occubuisset filius, ut audivit fortissime pugnantem interiisse, coronam capiti reposuit; numina testatus, se maiorem ex virtute filii voluptatem, quam ex morte dolorem sentire.

325 Darius in fuga quum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit, unquam se bibisse iucundius. Nunquam videlicet sitiens biberat.

326 Ciceronem, mortem Tulliae suae lugentem, his verbis consolatus est Servius Sulpicius: *Quae res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi dolorem minuere possit. Ex Asia rediens, quum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeeus, sinistra Corinthus; quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc*

prostrata ac diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum sic cogitare: Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, quorum vita brevior esse debet, quum uno loco tot oppidorum cadavera proiecta iacent? Visne tu te, Servi, cohibere et meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi: cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus.

327 Grata superveniet, quae non sperabitur, hora.

328 Quum in philitiis Lacedaemoniorum tyrannus coenavisset Dionysius, negavit, se iure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat: *Minime mirum; condimenta enim defuerunt. Quae?* inquit ille. *Labor in venatu, sudor, cursus ad Eurotam, fames, sitis: his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur.*

329 Socrates servo ait: *Caederem te, nisi irascerer.* Admonitionem servi in tempus sanius distulit; illo tempore se admonuit.

330 Dionysius,

quum quidam ex eius adsentatoribus, Damocles, commemoraret in sermone copias eius, opes, maiestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum, negaretque unquam beatiorem quemquam fuisse: *Visne igitur,* inquit, *o Damocle, quoniam te haec vita delectat, ipse eandem degustare et fortunam experiri meam?* Quum se ille cupere dixisset, collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto, abacosque complures ornavit argento auroque caelato. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere eosque nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronae; incendebantur odores: mensae conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari,

seta equina aptum, demitti iussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros ministratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam: iam ipsae defluebant coronae: denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod iam beatus nollet esse.

Idem Dionysius propter iniustam dominatus cupiditatem in carcerem quodammodo ipse se incluserat. Quin etiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. Et tamen ab his ipsis, quum iam essent adultae, ferrum removit instituitque, ut candentibus iuglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. Itemque, quum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat.

331 **Aeschines**

quum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis, legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat: qua perlecta, petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quae erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita. Quam quum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus: *Quanto*, inquit, *magis admiraremini, si audissetis ipsum?*

332 Quid facilius fuit regi Antigono, quam duos milites ad supplicium duci iubere, qui, proximi regio tabernaculo, de rege suo multa temere effutiebant? Audierat omnia Antigonus, utpote quum inter dicentes et audientem palla tantum interesset: quam ille leviter commovit et: *Longius*, inquit, *discedite, ne vox rex audiat.* Idem quadam nocte, quum quosdam ex militibus suis exaudisset, omnia mala imprecantes regi, qui ipsos in illud iter et inextricabile lutum deduxisset, accessit ad eos, qui maxime laborabant, et quum ignorantes, a quo adiuvarentur, expli-

cuisset: *Nunc*, inquit, *maledicite Antigono, cuius vitio in has miserias incidistis: ei autem bene optate, qui vos ex hac voragine eduxit.*

333 Vitaret coelum Phaëthon, si viveret, et quos
Optarat stulte, tangere nollet equos.

334 Si qua alia in Philippo, Macedonum rege, virtus, fuit et contumeliarum patientia, ingens instrumenmentum ad tutelam regni. Demochares ad eum inter alios Atheniensium legatos venerat. Audita benigne legatione, Philippus: *Dicite*, inquit, *mihi, facere quid possim, quod sit Atheniensibus gratum?* Excepit Demochares: *Te*, inquit, *suspendere.* Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta est. Quos Philippus conticescere iussit et Thersitam illum salvum et incolumem dimittere. *At vos*, inquit, *ceteri legati, nunciate Atheniensibus, multo superbiores esse, qui ista dicunt, quam qui impune dicta audiunt.*

335 Alexander magnus ille, quum in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset: *O fortunate*, inquit, *adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris!* Et vere: Nam nisi Ilias illa extitisset, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset.

336 Vive tibi, quamtumque potes praelustria vita:
Saevum praelustri fulmen ad arce venit.
Effugit hibernas demissa antenna procellas,
Lataque plus parvis vela timoris habent.
Qui cadit in plano (vix hoc tamen evenit ipsum),
Sic cadit, ut tacta surgere possit humo.

337 Quum Philippus Methonam urbem oppugnaret, in praetereuntem de muris sagitta iacta dextrum eius oculum effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior adversus hostes factus est; adeo ut interiectis diebus pacem deprecantibus dederit, nec moderatus tantum, verum etiam mitis adversus victos fuerit.

338 Antimachus, clarus poeta, quum, convocatis audi-

toribus, legeret eis magnum volumen suum, et eum legentem omnes praeter Platonem reliquissent: *Legam*, inquit, *nihilo minus*; *Plato enim mihi unus instar est omnium*.

339 Quum apud Philippum regem prae vino dormitantem dixisset causam mulier fuissetque immerito damnata, exclamavit, se ab eius iudicio provocare. « *Ad quem ergo proclamas?* » inquit rex iratus. Tum illa: « *A Philippo bene poto et dormitante ad Philippum sobrium et vigilantem* ». Excussit regi crapulam et somnolentiam tam liberum mulierculae responsum; et, causa eius diligentius inspecta, iustiorem sententiam tulit.

340 Spes.

Finirent multi leto mala: credula vitam
  Spes fovet, et melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas; spes sulcis credit aratis
  Semina, quae magno fenore reddat ager.
Haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces,
  Quum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum;
  Crura sonant ferro; sed canit inter opus.

341 M. Tullius s. d. Terentiae suae.

Si tu et Tullia, lux nostra, valetis, ego et suavissimus Cicero valemus. Pridie Idus Octobres Athenas venimus, quum sane adversis ventis usi essemus tardeque et incommode navigassemus. De nave exeuntibus nobis Acastus cum litteris praesto fuit. Accepi tuas litteras neque sum admiratus, eas breves fuisse: iam enim me ipsum exspectas. Cognovi etiam ex multorum amicorum litteris, ad arma rem spectare, ut mihi, quum venero, dissimulare non liceat, quid sentiam. Sed quoniam subeunda fortuna est, eo citius dabimus operam, ut veniamus. Tu velim, quod com-

modo valetudinis tuae fiat, quam longissime poteris, ob viam nobis properes. Vos, mea suavissima et optatissima Terentia, si nos amatis, curate, ut valeatis. Vale. Athenis, a. d. XV. Kalendas Novembres.

342 Postquam victum regem Perseum consolatus est victor Paulus Aemilius, sermone ad circumstantes Romanos converso: ***Exemplum insigne cernitis,*** inquit, ***mutationis rerum humanarum. Vobis hoc praecipue dico, iuvenes. Ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec praesenti credere fortunae, quum, quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cuius animum fortuna nec prospero flatu suo efferet, nec adversa infringet.***

343 Darius, adversus Alexandrum in Cilicia pugnaturus, coegerat undique paene innumerabilem militum multitudinem. Cuius aspectu quum admodum laetus esset, spem quoque eius inflabat adulatorum turba, certam de Alexandro victoriam pollicitantium. Conversus tum ad Charidemum Atheniensem, virum belli peritum, percontari coepit: satisne ei videretur instructus ad obterendum hostem? At ille: ***Hic tanti apparatus exercitus,*** inquit, ***haec tot gentium moles finitimis potest esse terribilis: nitet purpura auroque, fulget armis et opulentia. Sed Macedonum acies, torva sane et inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos et conferta robora virorum tegit. Ipsi phalangem vocant, peditum stabile agmen: vir viro, arma armis conserta sunt: ad nutum monentis intenti sequi signa, ordines servare didicerunt. Quod imperatur, omnes exaudiunt: obsistere, circumire, discurrere in cornu, mutare pugnam non duces magis quam milites callent. Ac ne auri argentique studio teneri putes, adhuc illa disciplina paupertate magistra stetit. Fatigatis humus cubile est: cibus, quem occupati parant, satiat; tempora somni artiora quam noctis sunt. Iam Thessali equites et Acarnanes Aetolique, invicta bello manus, fundis, credo et hastis igne duratis repellentur? Pari robore opus est. In illa***

terra, quae hos genuit, auxilia quaerenda sunt; argentum istud atque aurum ad conducendum militem mitte. Darius veritatis impatiens hospitem utilia suadentem abstrahi iussit ad capitale supplicium. Ille ne tum quidem libertatis oblitus: *Habeo,* inquit, *paratum mortis meae ultorem: expetet poenas consilii mei spreti is ipse, contra quem tibi suasi.* Haec vociferantem, quibus imperatum erat, iugulant. Sera deinde poenitentia subit regem, ac vera dixisse confessus sepeliri eum iussit.

344 Somnia fallaci ludunt temeraria nocte
Et pavidas mentes falsa timere iubent.

345 Quod Alexander de Besso proditore et prodito sumpserit supplicium.

Bessus, Bactrianae regionis praefectus, Darium regem aureis compedibus vinctum secum traxit ea mente, ut vel, tradito rege vivo, iniret Alexandri victoris gratiam, vel, interfecto Dario, regnum ipse occuparet. Quum autem ab Alexandro ostiliter premeretur et Darius conscendere equum et se hosti fuga eripere noluisset, Bessus ira incensus tela coniicit in regem multisque confossum vulneribus reliquit. Ita factum est, ut Darius ab omnibus praeter canem suum desertus misere periret. At Bessus Alexandri celeritate perterritus, diis patriis sacrificio rite facto, cum amicis ducibusque copiarum inter epulas de bello consultabat. Graves mero suas vires extollere, hostium nunc temeritatem, nunc paucitatem spernere incipiunt. Praecipue Bessus ferox verbis et parto per scelus regno superbus ac vix potens mentis dicere orditur, socordia Darii crevisse hostium famam. Occurrisse enim in Ciliciae angustissimis faucibus, quum retrocedendo posset perducere incautos in loca naturae situ invia, tot fluminibus obiectis, tot montium latebris, inter quas deprehensus hostis ne fugae

quidem, nedum resistendi quidem occasionem fuerit habiturus. Sibi placere in Sogdianos recedere, Oxum amnem velut murum obiecturum hosti, dum ex finitimis gentibus valida auxilia concurrerent. Venturos autem quum alios, tum Sacas et Indos et Scythas, quorum neminem adeo humilem esse, ut humeri eius non possent Macedonis militis verticem aequare. Conclamant temulenti, unam hanc sententiam salubrem esse: et Bessus circumferri merum largius iubet, debellaturus super mensam Alexandrum.

Erat in eo convivio Cobares, natione Medus, vir moderatus et probus. Is quum dicendi copiam accepisset et praefatus esset, quod apud Bactrianos vulgo usurpabant, canem timidum vehementius latrare, quam mordere, altissima quaeque flumina minimo sono labi, consilium aperit utilius Besso, quam gratius. *In vestibulo,* inquit, *regiae tuae velocissimus consistit rex. Ante ille agmen, quam tu mensam istam movebis. Nunc ab Iaxarte exercitum acceres et armis flumina oppones. Scilicet, qua tu fugiturus est, hostis sequi non potest! Iter utrique commune est, victori tutius. Licet strenuum metum putes esse, velocior tamen est spes. Meliorem fortunam deditus, quam hostis habiturus es. Alienum habes regnum, quo facilius eo careas. Incipies fortasse iustus esse rex, quum ipse fecerit, qui tibi et dare potest regnum et eripere. Consilium habes fidele; quod diutius exsequi supervacuum est. Nobilis equus umbra quoque virgae regitur: ignavus ne calcari quidem concitari potest.* Bessus et ingenio et multo mero ferox adeo exarsit, ut vix ab amicis, quo minus occideret eum contineretur. E convivio prosiluit, haudquaquam potens mentis. Cobares inter tumultum elapsus ad Alexandrum transfugit.

Octo milia Bactrianorum habebat armata Bessus, quae quamdiu Indiam potius Macedonas petituros crediderant, obedienter imperata fecerunt: postquam adventare Alexandrum compertum est, in suos quisque

vicos dilapsi Bessum reliquerunt. Ille cum clientium manu, qui non mutaverant fidem, Oxo amne superato exustisque navigiis, quibus transierat, ne iisdem hostis uteretur, novas copias in Sogdianis contrahebat.

Alexander Bessum persequens cum expedito agmine loca deserta Sogdianorum intrat. Ibi quum summa et longinqua aquarum penuria esset, primum animi, deinde corpora deficere coeperunt. Anxium regem tanto malo circumfusi amici, ut meminisset sui, orabant: animi sui magnitudinem unicum remedium deficientis exercitus esse: quum ex his, qui praecesserant ad capiendum locum castris, duo occurrunt, utribus aquam gestantes, ut filiis suis, quos in eodem agmine esse et aegre pati sitim non ignorabant, occurrerent. Qui quum in regem incidissent, alter ex eis, utre resoluto, vas, quod simul ferebat, implet, porrigens regi. Ille accipit: percontatus, quibus aquam portarent, filiis ferri cognoscit. Tum poculo pleno, sicut oblatum est, reddito: *Nec solus*, inquit, *bibere sustineo, nec tam exiguum dividere omnibus possum. Vos currite et liberis vestris, quod propter illos attulistis, date.*

Tandem ad flumen Oxum ipse venit prima fere vespera. Sed exercitus magna pars non potuerat consequi: in edito monte ignes iubet fieri ut ii, qui aegre sequebantur, haud procul castris ipsos abesse cognoscerent. Eos autem, qui primi agminis erant, mature cibo et potione firmatos, implere alios utres, alios vasa, quibuscunque aqua portari posset, iussit ac suis opem ferre. Sed qui intemperantius hauserunt, intercluso spiritu extincti sunt, multoque maior horum numerus fuit, quam ullo amiserat proelio. At ille thoracem adhuc indutus nec aut cibo refectus aut potu; qua veniebat exercitus, constitit nec ante ad curandum corpus recessit, quam praeterierant, qui agmen cludebant: totamque eam noctem cum

magno animi motu perpetuis vigiliis egit. Nec postero die laetior erat, quia nec navigia habebat nec pons erigi poterat, circum amnem nudo solo et materia maxime sterili. Consilium igitur, quod unum necessitas subiecerat, iniit. Utres quam plurimos, stramentis refertos, dividit. His incubantes transnavere amnem, quique primi transierant, in statione erant, dum traiicerent ceteri. Hoc modo sexto demum die in ulteriore ripa totum exercitum exposuit.

Iamque ad persequendum Bessum statuerat progredi, quum ea, quae in Sogdianis erant, cognoscit. Spitamenes erat inter omnes amicos praecipuo honore cultus a Besso. Sed nullis meritis perfidia mitigari potest: quae tamen minus in eo invisa esse poterat, quia nihil ulli nefastum in Bessum, interfectorem regis sui, videbatur. Titulus facinori speciosus praeferebatur, vindicta Darii; sed fortunam, non scelus oderat Bessi. Namque ut Alexandrum flumen Oxum superasse cognovit, duos iuvenes, quibus a Besso maxima fides habebatur, in societatem cogitatae rei asciscit. Illi prompte adsunt assumtisque octo fortissimis iuvenibus talem dolum intendunt. Spitamenes pergit ad Bessum et, remotis arbitris, comperisse ait se, insidiari ei duos illos, ut vivum Alexandro traderent, agitantes: a semet occupatos esse et vinctos teneri. Bessus tanto merito, ut credebat, obligatus partim gratias agit, partim avidus explendi supplicii adduci eos iubet. Illi, manibus suis sponte religatis, a participibus consilii trahebantur: quos Bessus truci vultu intuens consurgit, manibus non temperaturus. Atque illi, simulatione omissa, circumsistunt eum et frustra repugnantem vinciunt, direpto ex capite regni insigni lacerataque veste, quam e spoliis occisi regis induerat. In equum impositum Alexandro tradituri ducunt. Alexander processerat ad Iaxartem amnem. Quo perductus est Bessus, non vinctus modo, sed etiam omni vela-

mento corporis spoliatus. Spitamenes eum tenebat collo inserta catena, tam barbaris, quam Macedonibus gratum spectaculum. Tum Spitamenes: *Et te,* inquit, *et Darium, reges meos, ultus interfectorem domini sui adduxi, eo modo captum, cuius ipse fecit exemplum. Aperiat ad hoc spectaculum oculos Darius. Existat ab inferis, qui illo supplicio indignus fuit et hoc solatio dignus est!* Alexander multum collaudato Spitamene, conversus ad Bessum: *Cuius,* inquit, *ferae rabies occupavit animum tuum, quum regem de te optime meritum prius vincire, deinde occidere sustinuisti? Sed huius parricidii mercedem falso regis nomine persolvisti.* Ibi ille facinus purgare non ausus regis titulum se usurpare dixit, ut gentem suam tradere ipsi possit: qui si cessasset, alium fuisse regnum occupaturum. Alexander, his verbis non deceptus, Bessum Ecbatana duci iussit, ut eo loco, in quo Darium ipse occiderat, cruci affixus, mutilatis auribus naribusque, sagittis configeretur.

346 Scipio Nasica, quum ad poetam Ennium venisset eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset, domi non esse, recte sensit illam domini iussu dixisse et illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius et eum a ianua quaereret, exclamat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius: *Quid, ego non cognosco,* inquit, *vocem tuam?* Hic Nasica: *Homo es impudens; ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non esse: tu mihi non credis ipsi?*

347 Ut omnia aequo animo feratis, exemplum accipite Socratem per omnia aspera iactatum, invictum tamen et paupertate et laboribus. Uxorem habebat moribus feram, lingua petulantem, et liberos indociles, matri quam patri similiores. Novissime obiecta est illi et religionum violatio et iuventutis corruptela. Post haec carcer et venenum. Haec usque eo Socratis animum non moverunt, ut ne vultum quidem moverint.

348 Civitates quaedam universae parcimonia delectantur, ut Lacedaemonii. Persas negat Xenophon ad panem quidquam adhibere solitos esse, praeter nasturtium. Si quaedam etiam suaviora natura desideret, quam multa ex terra arboribusque nascuntur suavitate praestanti!

349 Quot mora dat vires! Teneras mora percoquit uvas
Et validas segetes, quod fuit herba, facit.
Quae praebet latas arbor spatiantibus umbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit:
Tunc poterat manibus summa tellure revelli;
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.

350 Asinius Pollio primus bibliothecam dicando ingenia hominum rem publicam fecit.

351 Vita humana prope uti ferrum est. Ferrum si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen rubigo interficit. Itidem homines exercendo videmus conteri: si nihil exerceas, inertia plus detrimenti affert, quam exercitio.

352 Fama, malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget viresque acquirit eundo:
Parva metu primo: mox sese attollit in auras;
Ingrediturque solo et caput inter nubila condit;
Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.

353 Nihil aliud est ebrietas, quam voluntaria insania et brevis furor. Hinc Alexander carissimum sibi ac fidelissimum amicum Clitum inter epulas transfodit et intellecto facinore mori voluit. M. Antonium, magnum virum et ingenii nobilis, quae alia res perdidit, quam ebrietas et Cleopatrae amor? Haec illum res hostem reipublicae, haec hostibus suis imparem reddidit, haec crudelem fecit, quum inter apparatissimas epulas, vino gravis, sitiret tamen sanguinem. Fere vinolentiam crudelitas sequitur.

354 **Diogenes Sinopensis**,

vir ingentis animi, qui se complicuit in dolio et in eo cubitavit, divitias proiecit, onus illas existimans, et effecit, ne quid sibi eripi posset. Servus, ei unicus, fugit, nec eum reducere, quum monstraretur, tanti putavit: *Turpe est*, inquit, *Manen sine Diogene posse vivere, Diogenem sine Mane non posse.* Quum vidisset puerum cava manu bibentem aquam, fregit protinus exemtum e perula calicem hac obiurgatione sui: *Quamdiu homo stultus supervacuas sarcinulas habui!* Idem Alexandro roganti, ut diceret, siquid opus esset: *Nunc quidem paulnlum*, inquit, *a sole.* Offecerat videlicet apricanti. His auditis Alexander: *Nisi Alexander essem*, inquit, *essem Diogenes.*

355 Quum adolescens fragrans unguento accessisset ad Vespasianum, ut pro impetrato magistratu gratias ageret, hic, ne quam occasionem corrigendi disciplinam praetermitteret, adolescentem vultu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit: Maluissem allium oboluisses; litterasque revocavit.

356 Quotidie ad rationem reddendam vocandus est animus. Faciebat hoc Sextius, ut, consummato die, quum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: *Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? Qua parte melior es?*

357 Lysandrum Lacedaemonium dicere aiunt solitum, Lacedaemona esse honestissimum domicilium senectutis; nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriae proditum est, quum Athenis quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum nusquam ei datum a suis civibus; quum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui, legati quum essent, certo in loco consederant, consurrexisse omnes et senem sessum recepisse. Quibus quum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex

iis quendam, Athenienses scire, quae recta essent, sed facere nolle.

358 Rure morans quid agam, respondeo pauca, rogatus:
Luce Deos oro: famulos, post arva reviso,
Partibus atque meis iustos indico labores.
Inde lego Phoebumque cio Musamque lacesso.
Hinc oleo corpusque frico mollique palaestra
Stringo libens, animo gaudens ac fenore liber.
Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, coeno, quiesco,
Dum parvus lychnus modicum consumat olivi:
Haec *) dat nocturnis nox lucubrata Camenis.

359 Apud Romanos antiquos in atriis maiorum expressi cera vultus singulis disponebantur armariis; tablina codicibus implebantur et monumentis rerum in magistratu gestarum. Aliae foris et circa limina domitarum gentium imagines erant, affixis hostium spoliis, triumphabantque etiam dominis mutatis ipsae domus, et erat haec stimulatio ingens exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.

360 Lycurgi legis laboribus erudiunt iuventutem, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando. Spartae pueri sic verberibus accipiuntur, ut multus sanguis exeat: quorum non modo nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem.

361 Quum Xenocrates philosophus maledico sermoni quorundam summo silentio interesset, uno ex his quaerente, cur solus ita linguam suam cohiberet: Quia dixisse me, inquit, aliquando poenituit; tacuisse, nunquam.

362 Omnia tempus edax depascitur, omnia carpit;
Omnia sede movet; nil sinit esse diu.
Flumina deficiunt: profugum mare littora siccat;
Subsidunt montes; et iuga celsa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima coeli
Ardebit flammis tota repente suis.

*) carmina scilicet.

363 **Domitianus**

inter initia principatus quotidie secretum sibi horarum sumere solebat; nec quidquam amplius quam muscas captare ac stilo praeacuto configere, ut cuidam interroganti, essetne quis intus cum Caesare, non absurde responsum sit a Vibio Crispo: *Ne musca quidem.*

364 Quum Romae medio foro quidam mortuus efferretur, accessit ad eum scurra et in aurem quiddam insusurravit. Interrogatus ab iis, qui aderant, quidnam dixisset? Se ei mandasse, respondit, ut Augusto nunciaret, nihil eorum, quae moriens plebi legavisset, solutum esse a Tiberio. Re audita, Tiberius scurram duci ad supplicium iussit, ut ipse Augusto nuncium ferret.

365 De incendio urbis Romae a Nerone facto.

Dicente quodam in sermone communi: « *Me mortuo terra misceatur ignibus* », Nero: « *Immo,* inquit, *me vivo* ». Planeque ita fecit. Nam quasi offensus deformitate veterum aedificiorum et angustiis flexurisque vicorum incendit urbem tam palam, ut plerique consulares cubicularios eius cum stuppa taedaque in praediis suis deprehensos non attigerint, et quaedam horrea circa domum Auream, quorum spatium maxime desiderabatur, bellicis machinis labefactata atque inflammata sint, quod saxeo muro constructa erant. Per sex dies septemque noctes ea clade saevitum est, ad monumentorum bustorumque diversoria plebe compulsa. Tunc praeter immensum numerum insularum domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatae, deorumque aedes ab regibus ac deinde Punicis et Gallicis bellis votae dedicataeque: et quidquid visendum atque memo-

rabile ex antiquitate duraverat. Hoc incendium e turri Maecenatiana prospectans laetusque flammae, ut-aiebat, pulcritudine, excidium Ilii in illo suo scenico habitu decantavit. Ac ne non hinc quoque quantum posset praedae et manubiarum invaderet, pollicitus cadaverum et ruderum gratuitam egestionem, nemini ad reliquias rerum suarum adire permisit: collationibusque non receptis modo, verum et efflagitatis provincias privatorumque census prope exhausit.

366 Nero, ut rumorem, se incendium Romae iussisse, aboleret, subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit Christianos. Auctor nominis eius Christus, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. Ferarum tergis contecti, laniatu canum interibant, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque ubi defecerat dies, in usum nocturni luminis urebantur.

367 **M. Atilius Regulus,**

quum primo Punico bello maritimas et pedestres Poenorum vires fregisset, tandem adversa fortunae mutatione in manus hostium venit. Legatus de permutandis captivis Romam missus, dato iureiurando, ut, si non impetrasset, in Africam rediret, in senatu conditionem dissuasit. Deinde quum retineretur a propinquis et ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere. Neque tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci. Tum ille, Carthaginem reversus, atrocissimis suppliciis vexatus est. Palpebris enim resectis, aliquando in loco tenebricoso habitus est; deinde, quum sol esset ardentissimus, repente eductus intueri coelum coactus est. Postremo coniectus est in arcam ligneam, clavis introrsum versis horrentem atque ita angustam, ut erectus perpetuo ma-

nere cogeretur; dumque fessum corpus, quocunque inclinaret, ferreis stimulis confodiebatur, cruciatu et vigiliis interemtus est.

368 Dura aliquis praecepta vocet mea; dura fatemur
Esse: sed ut valeas, multa dolenda feres.
Saepe bibi succos, quamvis iratus, amaros
Aeger; et oranti mensa negata mihi est.

369 Tiberius

imperator Iliensium legati paullo serius de morte filii Drusi consolantibus irridens: se quoque, respondit, vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem amisissent. Effluxerant autem tum plus quam mille anni a morte Hectoris. Idem praesidibus onerandas tributo provincias suadentibus rescripsit, boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.

370 In schola audiet puer multa quotidie probari, multa corrigi; proderit alicuius obiurgata desidia, proderit laudata industria; excitabitur laude aemulatio; turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse maiores. Accendunt omnia haec animos: et, licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est.

371 Quid non pietas potest?

Vicit Aeneas patrem beneficiis. Ipse eius in infantia leve tutumque gestamen, gravem senio per media hostium agmina et per cadentis circa se urbis ruinas ferens, quum complexus sacra ac penates deos religiosus senex non simplici vadentem sarcina premeret: tulit illum per ignes et pertulit colendumque inter conditores Romani imperii posuit.

372 Quid carmina possint.

Carmina magnarum peragunt praeconia laudum,
Neve sit actorum fama caduca, cavent.

Carmine fit vivax virtus, expersque sepulcri
Notitiam serae posteritatis habet.
Tabida consumit ferrum lapidemque vetustas,
Nullaque res maius tempore robur habet.
Scripta ferunt annos: scriptis Agamemnona nosti
Et quisquis contra vel simul arma tulit.
Quis Thebas septemque duces sine carmine nosset,
Et quidquid post haec quidquid et ante fuit?
Di quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt,
Tantaque maiestas ore canentis eget.

373 Omni Macedonum gaza, quae fuit maxima, potitus est Aemilius Paulus: tantum in aerarium pecuniae invexit, ut unius imperatoris praeda finem attulerit tributorum. At hic nihil domum suam, praeter memoriam nominis sempiternam detulit. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine eversa. Numquid copiosior fuit L. Mummius, quum copiosissimam urbem Corinthum funditus sustulisset? Italiam ornare, quam domum suam maluit.

374 Vespasianus, nunquam caede cuiusquam laetatus, iustis suppliciis illacrimavit etiam et ingemuit.

375 Qualis Caesar fuerit in bellis.

1. Dum Caesar paucos dies ad Vesontionem rei frumentariae commeatusque causa moratur, ex percontatione Romanorum vocibusque Gallorum ac mercatorum, qui ingenti magnitudine corporum Germanos, incredibili virtute atque exercitatione in armis esse praedicabant (saepenumero sese cum his congressos ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse), tantus subito timor omnem exercitum occupavit, ut non mediocriter omnium mentes animosque perturbaret. Hic primum ortus est a tribunis militum, praefectis reliquisque, qui ex urbe amicitiae causa Caesarem secuti non magnum in re militari usum habebant: quorum alius alia causa illata,

quam sibi ad proficiscendum necessariam esse diceret, petebat, ut eius voluntate discedere liceret: nonnulli pudore adducti, ut timoris suspicionem vitarent, remanebant. Hi neque vultum fingere, neque interdum lacrimas tenere poterant: abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur. Vulgo totis castris testamenta obsignabantur. Horum vocibus ac timore paulatim etiam ii, qui magnum in castris usum habebant, milites centurionesque quique equitatui praeerant, perturbabantur. Qui se ex his minus timidos existimari volebant, non se hostem vereri, sed angustias itineris et magnitudinem silvarum, quae intercederent inter ipsos atque Ariovistum, aut rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere dicebant. Nonnulli etiam Caesari renuntiabant, quum castra moveri ac signa ferri iussisset, non fore dicto audientes milites neque propter timorem signa laturos. Caesar, quum haec animadverteret, convocata concione, orationem habuit, qua mirum in modum conversae sunt omnium mentes, summaque alacritas et cupiditas belli gerendi innata est. Qua usus Caesar Ariovistum devicit et ductu suo et fortitudine suorum effecit, ut Germani terga verterent neque prius fugere desisterent, quam ad flumen Rhenum pervenissent.

2. Caesar, nactus idoneam ad navigandum tempestatem, Britanniam attigit. At Britanni Romanos navibus egredi prohibebant. Militibus Romanis cunctantibus, maxime propter altitudinem maris, qui decimae legionis aquilam ferebat: ***Desilite,*** inquit, ***commilitones, nisi vultis aquilam hostibus prodere: ego certe meum reipublicae atque imperatori munus praestitero.*** Hoc quum magna voce dixisset, se ex navi proiecit atque in hostes aquilam ferre coepit. Tum milites universi ex navi desiluerunt. Pugnatum est ab utrisque acriter. Romani tamen, quod neque ordines servare,

neque firmrter insistere, neque signa subsequi poterant, atque alius alia ex navi, quibuscunque signis occurrerat, se aggregabat, magnopere perturbabantur. Hostes vero notis omnibus vadis, ubi ex litore aliquos singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis impeditos adoriebantur: plures paucos circumsistebant: alii ab latere aperto in universos tela coniiciebant. Quod quum animadvertisset Caesar, scaphas longarum navium item speculatoria navigia militibus compleri iussit et, quos laborantes conspexerat, iis subsidia submittebat. Romani, simul in arido constiterunt, suis omnibus consecutis in hostes impetum fecerunt atque eos in fugam dederunt neque longius prosequi potuerunt, quod equites, quum alio ex portu in altum provecti essent, tempestate subito coorta, cursum tenere atque insulam capere non potuerant.

3. Omnium certaminum, quae Caesar iniit, extremum apud Mundam fuit, Hispaniae urbem. Hic non pro cetera felicitate, sed anceps et diu triste proelium. Ipse ante aciem moestior non ex more Caesar, sive respectu fragilitatis humanae, sive nimiam prosperorum suspectam habens continuationem: vel eadem timens, postquam idem esse coeperat, quod Pompeius. Sed in ipso proelio quum diu pari Marte acies nihil aliud quam occiderent, in medio ardore pugnantium subito ingens inter utrosque silentium, quasi convenisset. Novissime illud inusitatum Caesaris oculis nefas post quatuordecim annos, probata veteranorum manus gradum retro dedit. Quod etsi nondum fugerat, apparebat tamen, pudore magis quam virtute resistere. Itaque ablegato equo, similis furenti primam in aciem procurrit. Ibi prensare fugientes, confirmare, per totum denique agmen oculis, manibus, clamore volitare. Dicitur in illa perturbatione et de extremis agitasse secum et ita manifesto vultu fuisse, quasi occupare mortem vellet, nisi cohortes hostium quinque per transversam aciem actae fugae speciem

praebuissent. Hoc aut et ipse credidit, aut dux callidus arripuit in occasionem et quasi in fugientem invectus simul et suorum erexit animos et hostes perculit.

376 Ad Caesarem Augustum delatum est indicium, L. Cinnam insidias ei struere. Cinnam ad se accersivit, dimissisque omnibus, indicium exposuit, adjecit locum, socios, diem, ordinem insidiarum: et quum sua in eum beneficia plurima commemorasset, pro quibus ille infandam caedem paraverat, his verbis desiit: Vitam tibi, Cinna, iterum do, prius hosti, quum te in hostium meorum castris invenissem, nunc insidiatori ac parricidae. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat: et, quam libenter ego tibi vitam do, tam libenter tu mihi eam debeas. Post haec detulit ei ultro consulatum, questus, quod non auderet petere: amicissimum fidelissimumque habuit. Heres solus fuit illi: et nullis amplius insidiis ab illo petitus est; id clementia consecutus, quod antea severitate frusta quaesiverat.

377 Inventa secuit qui primus nave profundum,
Et rudibus remis sollicitavit aquas,
Tranquillis primum trepidus se credidit undis,
Littora securo tramite summa legens:
Mox longos tentare sinus et linquere terras,
Et leni coepit pandere vela Noto.
Ast ubi paulatim praeceps audacia crevit,
Cordaque languentem dedidicere metum;
Iam vagus exultat pelago, coelumque secutus,
Aegeas hiemes Ioniasque domat.

378 **Pittacus**

ille, qui septem sapientum numero est habitus, quum ei Mytilenaei multa milia jugerum agri munera darent: « *Nolite, oro vos,* inquit, *id mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant. Quare ex*

istis nolo amplius quam centum iugera, quae et meam animi aequitatem et vestram voluntatem indicent. » Nam parva munera, diutina; locupletia non propria esse consuerunt.

379 Clarissimum Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum; qui magnitudine operis et fulgore carminum solus appellari poëta meruit: in quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est: neque quemquam alium, cuius operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum, praeter Homerum et Archilochum, reperiemus.

380 Quum Chabrias, dux Atheniensium, fortissime navali proelio pugnaret, navis eius rostro percussa coepit sidere. Hinc refugere quum posset, si se in mare deiecisset, quod suberat classis Atheniensium, quae exciperet natantem; perire maluit, quam, armis abiectis, navem relinquere, in qua fuerat vectus. Id ceteri facere noluerunt, qui nando in tutum pervenerunt. At ille, praestare honestam mortem turpi existimans vitae, cominus pugnans, telis hostium interfectus est.

381 **Simonides**,

quum ignotum quendam proiectum mortuum in quiete vidisset eumque humavisset haberetque in animo navem conscendere, moneri visus est, ne id faceret, ab eo, quem sepultura affecerat; si navigasset, eum naufragio esse periturum; itaque Simonides rediit. Perierunt ceteri, qui tum navigarant.

382 Filippo Alexander filius successit, et virtute et vitiis patre maior. Hic aperte, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere; hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Vini

nimis uterque avidus; sed ebrietatis diversa vitia. Pater de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre; Alexander non in hostem, sed in suos saevire. Quamobrem Philippum saepe vulneratum proelia remisere; hic amicorum interfector convivio frequentior excessit. Regnare ille cum amicis volebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Litterarum cultus utrique similis. Sollertiae pater majoris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus et promtior et honestior, ille nec sociis abstinebat. Frugalitati pater, luxuriae filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummavit.

383 Clarum admodum somnium tradunt. Quum duo quidam Arcades familiares iter una facerent et Megaram venissent, alterum ad cauponem divertisse, ad hospitem alterum. Qui ut coenati quiescerent, concubia nocte visum esse in somnis ei, qui erat in hospitio, illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur: eum primo perterritum somnio surrexisse: dein quum se collegisset idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse: tum ei dormienti eundem illum visum esse rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur: se interfectum in plaustrum a caupone esse coniectum et supra stercus iniectum: petere ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio eum commotum mane bubulco praesto ad portam fuisse: quaesisse ex eo, quid esset in plaustro: illum perterritum fugisse: mortuum erutum esse: cauponem, re patefacta, poenas dedisse.

384 **Publius Scipio,**

is, qui primus Africanus appellatus est, dicere solebat, nunquam se minus otiosum esse, quam quum otiosus; nec minus solum, quam quum solus esset. Magnifica vox et magno viro et sapiente digna! quae declarat, illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum: ut neque cessaret unquam et interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duae res, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant, otium et solitudo.

385 Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?
Omnia tunc florent, tunc est nova temporis aetas
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis operitur frondibus arbos;
Prodit et in summum seminis herba solum,
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit et in pratis luxuriatque pecus.
Tum blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsâ sub trabe fingit opus.
Tunc patitur cultus ager et renovatur aratro;
Haec anni novitas iure vocanda fuit.

386 Quum Lacedaemonii gravi bello Atticos premerent respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores: Codrus, rex Atheniensium, deposita veste regia, pastoralem cultum induit, immixtusque castris hostium, rixam ciens, imprudenter interemtus est. Codrum cum morte aeterna gloria, Athenienses secuta victoria est. Quis eum non miretur, qui his artibus mortem quaesierit, quibus ab ignavis vita quaeri solet?

387 Diomedon, rogatu Artaxerxis regis, Epaminondam pecunia corrumpendum suscepit. Hic magno cum pondere auri Thebas venit et Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micy-

thus Epaminondam convenit et causam adventus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram: *Nihil*, inquit, *opus pecunia est. Nam si rex ea vult, quae Thebanis sunt utilia, gratis facere sum paratus: sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis. Namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriae caritate. Tu, quod me incognitum temptasti tuique similem existimasti, non miror tibique ignosco. Sed egredere propera, ne alios corrumpas, quum me non potueris: et tu, Micythe, argentum huic redde; aut, nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui.*

388 Mummius tam rudis fuit, ut, capta Corintho, quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet praedici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos redituros.

389 **Desiderium patriae.**

Non dubia est Ithaci prudentia; sed tamen optat
  Fumum de patriis posse videre focis.
Nescio qua natale solum dulcedine captos
  Ducit et immemores non sinit esse sui.
Quod melius Roma? Scythico quid litore peius?
  Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit.
Quum bene sit clausae cavea Pandione natae *)
  Nititur in silvas illa redire suas.
Adsuetos tauri saltus, adsueta leones
  (Nec feritas illos impedit) antra petunt.

390 **Anacharsis Scythes,**

quum pro nihilo pecuniam duceret, epistolam his verbis scripsit: «Anacharsis Hannoni salutem. Mihi amictui est Scythicum tegimen, calceamentum solo-

*) Philomelae in lusciniam conversae.

rum callum, cubile terra, pulpamentum fames, lacte, caseo, carne vescor. Qua re ut ad quietum me licet venias. Munera autem ista, quibus me ditaturus es, vel civibus tuis, vel dis immortalibus dona. »

391 Nihil tam indignum fuit, quam quod ab ullo Cicero proscriptus est. Abscissaque scelere Antonii vox publica est, cum eius salutem nemo defendisset, qui per tot annos et publicam civitatis et privatam civium causam defenderat. Nihil tamen egisti, M. Antoni. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam et aetatem senilem et vitam miseriorem te principe, quam sub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit vivetque per omnem seculorum memoriam omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum exsecrabitur.

392 Epaminondas, quum in pugna apud Mantineam facta animadverteret, mortiferum se vulnus accepisse simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum, usque eo retinuit, quoad renunciatum est, vicisse Boeotios. Id post quam audivit: *Satis*, inquit, *vixi, invictus enim morior*. Tum ferro extracto confestim exanimatus est.

393. Leo homini gratiam refert.

In circo maximo venationis amplissimae pugna populo dabatur. Multae ibi saevientes ferae, omniumque invisitata aut forma erat, aut ferocia. Sed praeter alia omnia leonum immanitas admirationi fuit, praeterque omnes ceteros unius. Is unus leo corporis vastitate, terribili fremitu, toris cervicum comisque fluctuantibus animos oculosque omnium in sese converterat. Introductus erat inter complures alios ad pugnam bestiarum datus servus, cui Androclus

nomen fuit. Hunc ille leo ubi vidit procul, repente quasi admirans stetit: ac deinde sensim atque placide, tanquam noscitans, ad hominem accedit. Tum caudam more adulantium canum blande movet hominisque sese corpori adjungit; cruraque eius et manus, prope jam exanimati metu, lingua leniter demolcet. Homo Androclus inter illa tam atrocis ferae blandimenta amissum animum recuperat paulatimque oculos ad contuendum leonem refert. Tum, quasi mutua recognitione facta, laetos et gratulabundos videres hominem et leonem. Ea re prorsus tam admirabili maximi populi clamores excitati, arcessitusque est a Caesare Androclus atque interrogatus causam, cur ille atrocissimus leo uni pepercisset. Ibi Androclus rem mirificam narrat. Quum provinciam, inquit, Africam proconsulari imperio dominus meus obtineret, ego ibi iniquis eius et quotidianis verberibus ad fugam sum coactus; et ut mihi a domino, terrae illius praeside, tutiores latebrae forent, in arenarum solitudines concessi : ac si defuisset cibus, consilium fuit; mortem aliquo pacto quaerere. Tum, sole medio, inquit et flagrante, specum quandam nactus remotam latebrosamque, in eam me recondo. Neque multo post ad eandem specum venit hic leo, debili uno et cruento pede, gemitus edens, dolorem vulneris expromentes. Atque illic primo quidem conspectu advenientis leonis territus sum. Sed postquam introgressus leo in habitaculum illud suum vidit me procul delitescentem, mitis ac mansuetus accessit et sublatum pedem ostendere mihi ac porrigere, quasi opis petendae gratia, visus est. Ibi, inquit, ego stirpem ingentem vestigio pedis eius haerentem revelli conceptamque saniem expressi accuratiusque, sine magna iam formidine, siccavi penitus atque detersi cruorem. Ille tunc, mea opera et medela levatus, pede in manibus meis posito, recubuit et quievit. Atque ex

eo die triennium totum ego et leo in eadem specu eodemque victu viximus. Nam quas venabatur feras, earum membra opimiora ad specum mihi suggerebat: quae ego, ignis copiam non habens, meridiano sole torrens edebam. Sed ubi me, inquit, vitae illius ferinae iam pertaesum est, leone in venatum profecto, reliqui specum: et, viam ferme tridui permensus, a militibus visus apprehensusque sum et ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim capitis damnandum dandumque ad bestias curavit. Intelligo autem, inquit, hunc quoque leonem, me tunc separato, captum gratiam nunc mihi beneficii et medicinae referre. Haec Androclus. Ideo cunctis petentibus dimissus poenaque solutus et leo ei suffragiis populi donatus est. Postea conspiciebatur Androclus cum leone, loro tenui revincto, urbe tota tabernas circumiens: donabatur aere Androclus, floribus spargebatur leo, et omnes ubique obvii dicebant: *Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis.*

393. C. PLINIUS, PROCONSUL BITHYNIAE, TRAIANO, IMP., S. D. A. U. C. 863.

De Christianorum rebus.

In iis, qui ad me tanquam Christiani deferebantur hunc sum secutus modum. Interrogavi ipsos, num essent Christiani; confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi. Neque enim dubitabam, inflexibilem obstinationem debere puniri. Deos appellare et imagini tuae ture ac vino supplicare, aut maledicere CHRISTO nihil cogere potest eos, qui sunt re vera Christiani. — Haec est summa eorum erroris: solent stato die ante lucem

convenire carmenque CHRISTO, quasi Deo, dicere secum invicem seque sacramento, non in scelus aliquod, obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committant, ne fidem fallant, ne depositum appellati abnegent: quibus peractis, mos illis discedendi est rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium. Necessarium credidi, ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri et per tormenta quaerere. Sed nihil aliud inveni, quam superstitionem pravam, immodicam. Multi omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est. Certe satis constat, prope jam nostra esse desolata templa, et sacra solemnia diu intermissa esse, et victimarum rarissimum emtorem inveniri. Visa est igitur mihi res digna consultatione.

394 Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis frenumque recepit.
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.
Sic, qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus atque
Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.

395 Apud Xenophontem moriens Cyrus maior haec dicit: Nolite arbitrari, o mei carissimi filii, me, quum a vobis discessero, nusquam, aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed eum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiamsi nullum videbitis.

396 Quam bene Saturno vivebant rege, prius quam
Tellus in longas est patefacta vias!
Nondum caeruleas pinus contempserat undas
Effusum ventis praebueratque sinum.

Illo non validus subiit iuga tempore taurus:
  Non domito frenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
  Qui regeret certis finibus arva, lapis.
Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
  Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella; nec enses
  Inmiti saevus duxerat arte faber.

397. De claris aliquot pictoribus.

I. DE ZEUXIDE ET PARRHASIO.

Zeuxis andentem iam aliquid penicillum ad magnam gloriam perduxit. Opes quoque tantas acquisivit, ut in ostentationem earum Olympiae aureis litteris in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentarit. Postea donare opera sua instituit, quod ea nullo satis digno pretio permutari posse diceret. Fecit et Penelopen, in qua pinxisse mores videtur: et athletam. Adeoque sibi in illo placuit, ut versum subscriberet, celebrem ex eo, invisurum aliquem facilius, quam imitaturum. Aequales Zeuxidis et aemuli fuere Timanthes et Parrhasius. Descendisse hic in certamen cum Zeuxide traditur. Et quum ille detulisset uvas pictas tanto successu, ut in scenam aves advolarent, ipse detulisse linteum pictum, ita veritate repraesentata, ut Zeuxis, alitum iudicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parrhasius autem se artificem. Fertur et postea Zeuxis pinxisse puerum uvas ferentem, ad quas quum advolasset avis, eadem ingenuitate processit, iratus operi: *Uvas*, inquit, *melius pinxi, quam puerum: nam si et hoc consummassem, avis timere debuerat.*

II. DE APELLE ET PROTOGENE.

Omnes pictores prius genitos superavit Apelles Cous Olympiade CXII. Picturae plura solus prope, quam ceteri omnes, contulit. Praecipua eius in arte venustas est, quum eadem aetate maximi pictores essent: quorum opera quum admiraretur, collaudatis omnibus, deesse iis unam Venerem dicebat, quam Graeci Charita vocant: cetera omnia contigisse: sed hac soli sibi neminem parem. Et aliam gloriam usurpavit, quum Protogenis opus immensi laboris ac curae supra modum anxiae miraretur. Dixit enim, omnia sibi cum illo paria esse, aut illi meliora: sed uno se praestare, quod manum ille de tabula non sciret tollere: memorabili praecepto, nocere saepe nimiam diligentiam.

Scitum est inter Protogenem et eum quod accidit. Ille Rhodi vivebat: quo quum Apelles adnavigasset, avidus cognoscendi opera eius, fama tantum sibi cogniti, continuo officinam petiit. Aberat ipse, sed tabulam amplae magnitudinis in machinam aptatam picturae, anus una custodiebat. Haec Protogenem foris esse respondit interrogavitque, a quo quaesitum diceret. *Ab hoc*, inquit Apelles; arreptoque penicillo lineam ex colore duxit summae tenuitatis per tabulam. Reverso Protogeni, quae gesta erant, anus indicavit. Ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem, dixisse Apellem venisse: non enim cadere in alium tam absolutum opus. Ipsumque alio colore tenuiorem lineam in illa ipsa duxisse praecepisseque abeuntem, si redisset ille, ostenderet adiiceretque, hunc esse, quem quaereret: atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, sed vinci erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus, in portum devolavit, hospitem quaerens.

Apelli fuit alioqui perpetua consuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem: quòd ab eo in proverbium venit. Idem perfecta opera pergula proponebat transeuntibus atque, post ipsam tabulam latens, vitia quae notarentur auscultabat, vulgum diligentiorem iudicem, quam se praeferens. Feruntque a sutore reprehensum, quod in crepidis una intus pauciores fecisset ansas: eodem postero die superbo emendatione pristinae admonitionis cavillante circa crus, indignatum prospexisse, denunciantem, ne supra crepidam iudicaret, quod et ipsum in proverbium venit.

Fuit enim et comitas illi, propter quam gratior Alexandro Magno erat, frequenter in officinam ventitanti, nam ab alio pingi se, vetuerat edicto. Sed et in officina imperite multa disserenti silentium comiter suadebat, rideri eum dicens a pueris, qui colores tererent.

Apelles et in aemulis benignus, Protogeni dignationem primus Rhodi constituit. Sordebat hic suis, ut plerumque domestica: illique percontanti, quanti liceret opera effecta, parvum nescio quid dixerat: at ille quinquagenis talentis poposcit famamque dispersit, se emere, ut pro suis venderet. Ea res concitavit Rhodios ad intelligendum artificem, nec nisi augentibus pretium cessit.

Omnium tabularum, quas pinxit Protogenes, palmam habet eius Ialysus, qui fuit unus e principibus Rhodi insulae. Quem quum pingeret, traditur madidis lupinis vixisse, quoniam simul famem sustinerent et sitim, ne sensus nimia dulcedine obstrueret. Est in ea pictura canis mire factus, ut quem pariter casus pinxerit. Non iudicabat se exprimere in eo spumam anhelantis posse, quum in reliqua omni parte sibi ipse satisfecisset. Displicebat autem ars ipsa, nec minui poterat et videbatur nimia ac longius a veritate discedere, spumaque illa pingi, non ex

ore nasci, anxio animi cruciatu, quum in pictura verum esse, non verisimile vellet: absterserat saepius mutaveratque penicillum, nullo modo sibi approbans. Postremo iratus arti, quod intelligeretur, spongiam eam impegit inviso loco tabulae, et illa reposuit ablatos colores, qualiter cura optabat, fecitque in pictura fortuna naturam. Propter hunc Ialysum, ne cremaret tabulas Demetrius rex, quum ab ea parte sola posset Rhodum capere, non incendit: parcentemque picturae fugit occasio victoriae. Erat tunc Protogenes in suburbano hortulo suo, hoc est, Demetrii castris. Neque interpellatus proeliis inchoata opera intermisit omnino: nisi ascitus a rege interrogatusque, qua fiducia extra muros ageret, respondit, scire se, cum Rhodiis illi bellum esse, non cum artibus. Disposuit ergo rex in tutelam eius stationes, gaudens, quod posset manus servare, quibus iam pepercerat: et ne saepius avocaret, ultro ad eum venit hostis, relictisque victoriae suae votis, inter arma et murorum ictus spectavit artificem. Sequiturque tabulam eius temporis haec fama, quod eam Protogenes sub gladio pinxerit. Satyrus hic est, qui, ne quid deesset temporis eius securitati, tenebat tibias.

398. De Masinissae regis pietate.

Insula est Melita, satis lato a Sicilia mari periculosoque disiuncta: in qua est eodem nomine oppidum. Ab eo oppido non longe in promontorio fanum est Iunonis antiquum, quod tanta religione semper fuit, ut non modo Punicis bellis, sed etiam postea, quum tot praedones in illo mari versarentur, semper inviolatum sanctumque fuerit. Quin etiam hoc memoriae proditum est, classe quondam Masinissae regis ad eum locum appulsa praefectum regium

dentes eburneos incredibili magnitudine e fano sustulisse et eos in Africam portasse Masinissaeque donasse. Regem primo delectatum esse munere: post ubi audisset, unde essent, statim certos homines in quinqueremi misisse, qui eos dentes reponerent. Itaque in iis scriptum litteris Punicis fuit « regem Masinissam imprudentem accepisse, re cognita reportandos reponendosque curasse ».

399. **Mortem aequo animo oppetit, qui bene vixit.**

Socrates ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus videretur esse iudicum. Quin etiam quum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias attulisset, quam edisceret, ut ea pro se in iudicio uteretur, non invitus legit et commode scriptam esse dixit: sed, inquit, ut si mihi calceos Sicyonios attulisset, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles; sic illam orationem disertam sibi et oratoriam videri, fortem et virilem non videri. Ergo ille damnatus est. Erat tum Athenis reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi poenae aestimatio; et sententia quum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi aestimationem commeruisse se maxime confiteretur. Quod quum interrogatus Socrates esset, respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur et ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur, qui honos apud Graecos maximus habetur. Cuius responso iudices sic exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent.

400. **De praesenti Tulli regis animo.**

Quum Fidenates, colonia Romana, Veientibus sociis consilii adsumptis, aperte a populo Romano descissent,

Tullus rex, una cum Albanis contra eos ducit. Ipse adversus Veientem hostem dirigit suos; Albanos contra legionem Fidenatium collocat. Albanorum duci, Mettio, non plus animi erat quam fidei. Nec manere ergo, nec transire aperte ausus, sensim ad montes succedit. Inde, ubi satis subisse sese ratus est, erigit totam aciem, fluctuansque animo, ut tereret tempus, ordinem explicat. Consilium erat, qua fortuna rem daret, ea inclinare vires. Miraculo primo esse Romanis, qui proxime steterant, ut nudari latera sua sociorum digressu senserunt; inde eques citato equo nuntiat regi, abire Albanos. Tullus in re trepida duodecim vovit Salios fanaque Pallori ac Pavori. Equitem clara increpans voce, ut hostes exaudirent, redire in proelium iubet: nihil trepidatione opus esse; suo iussu circumduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadant. Item imperat, ut hastas equites erigere iubeat. Id factum magnae parti peditum Romanorum conspectum abeuntis Albani exercitus intersaepsit. Qui viderant, id, quod ab rege auditum erat, rati, eo acrius pugnant. Terror ad hostes transit: et audiverant clara voce dictum, et magna pars Fidenatium, ut qui coloni additi Romanis essent, Latine sciebant. Itaque, ne subito ex collibus decursu Albanorum intercluderentur ab oppido, terga vertunt. Instat Tullus, fusoque Fidenatium cornu, in Veientem alieno pavore perculsum ferocior redit, nec illi tulere impetum, sed ab effusa fuga Tiberis flumen obiectum a tergo arcebat. Quo postquam fuga inclinavit, alii arma foede iactantes in aquam caeci ruebant, alii dum cunctantur in ripis inter fugae pugnaeque consilium oppressi. Non alia ante Romana pugna atrocior fuit. Mettium Tullus, duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigatumque in diversas partes distrahendum curavit.

401. **C. Plinius Caninio suo S. a. u. c. 870.**

Incidi in materiam veram, sed simillimam fictae. Magna auctoris fides, cui quidem bene vel historiam scripturus credidisses. Est in Africa Hipponensis colonia, mari proxima. Adiacet navigabile stagnum. Ex hoc in modum fluminis aestuarium emergit, quod vice alterna, prout aestus aut repressit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. Omnis hic aetas piscandi, navigandi atque etiam natandi studio tenetur: maxime pueri, quos otium ludusque sollicitat. His gloria et virtus altissime provehi: victor ille, qui longissime ut litus, ita simul natantes reliquit. Hoc certamine puer quidam, audentior ceteris, in ulteriora tendebat. Delphinus occurrit et nunc praecedere puerum, nunc sequi, nunc circuire, postremo subire, deponere, iterum subire trepidantemque perferre primum in altum: mox flectit ad litus redditque terrae et aequalibus. Serpit per coloniam fama. Concurrere omnes, ipsum puerum tanquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident litus, prospectant mare et si quid mari simile. Natant pueri: inter hos ille, sed cautius. Delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum venit. Fugit ille cum ceteris. Delphinus quasi invitet et revocet, exsilit, mergitur variosque orbes implicat expeditque. Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines, innutritos mari, subiret timendi pudor. Accedunt et alludunt et appellant, tangunt etiam pertractantque praebentem. Crescit audacia experimento. Maxime puer, qui primus expertus est, adnatat natanti, insilit tergo; fertur referturque, agnosci se, amari putat, amat ipse: neuter timet, neuter timetur. Huius fiducia mansuetudo illius augetur: nec non alii pueri dextra laevaque simul eunt hortantes monentesque. Ibat una delphinus

alius, tantum spectactor et comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur, sed alterum illum ducebat, reducebat ut puerum ceteri pueri. Incredibile (tam verum tamen quam priora) delphinum gestatorem collusoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum arenisque siccatum, ubi incaluisset, in mare revolvi. Constat Avitum, legatum proconsulis, in litus educto religione prava superfudisse unguentum, cuius illum novitatem odoremque in altum refugisse: nec nisi post multos dies visum languidum et moestum, mox redditis viribus priorem lasciviam et solita ministeria repetisse. Confluebant ad spectaculum omnes magistratus, quorum adventu et mora modica respublica novis sumptibus atterebatur. Postremo locus ipse quietem suam secretumque perdebat. Placuit occulte interfici ad quod coibatur. Haec tu qua miseratione, qua copia deflebis ornabis, attolles? Quanquam non est opus adfingas aliquid aut adstruas: sufficit, ne ea; quae sunt vera, minuantur. Vale.

402. **De Arione per delphinum servato.**

Quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus?
  Carmine currentes ille tenebat aquas. —
Nomen Arionium Siculas impleverat undas,
  Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens puppem conscendit Arion;
  Atque ita quaesitas arte ferebat opes.
Forsitan, infelix! ventos undasque timebas.
  At tibi nave tua tutius aequor erat.
Namque gubernator destricto constitit ense,
  Ceteraque armata conscia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rege, navita, pinum;
  Non sunt haec digitis arma tenenda tuis.
Ille, metu vacuus: « Mortem non deprecor » inquit,
  « Sed liceat sumta pauca referre lyra ».

Dant veniam ridentque moram. Capit ille coronam,
Quae possit crines, Phoebe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam;
Reddidit icta suos pollice chorda sonos,
Flebilibus veluti numeris, canentia dura
Traiectus penna tempora, cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas;
Spargitur impulsa caerula puppis aqua.
Inde (fide maius) tergo delphina recurvo
Se memorant oneri supposuisse novo.
Ille sedens citharamque tenet pretiumque vehendi
Cantat et aequoreas carmine mulcet aquas.
Di pia facta vident: astris delphina recepit
Iuppiter et stellas iussit habere novem.

403. De libris Sibyllinis.

Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum regem adiit, novem libros ferens, quos esse dicebat divina oracula: eos velle venundare. Tarquinius pretium percontatus est; mulier nimium atque immensum poposcit. Rex, quasi anus aetate desiperet, derisit. Tum illa tres libros ex novem deurit et, ecquid reliquos sex eodem pretio emere vellet, regem interrogavit. Sed enim Tarquinius id multo risit magis dixitque, anum iam procul dubio delirare. Mulier ibidem statim tres alios libros exussit atque id ipsum denuo placide rogat, tres reliquos eodem illo pretio emat. Tarquinius ore iam serio atque attentiore animo fit; libros tres reliquos mercatur nihilo minore pretio, quam quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem tunc a Tarquinio digressam postea nusquam visam constitit. Libri tres in sacrarium conditi Sibyllini appellati. Ad eos, quasi ad oraculum, Quindecimviri adeunt, quum dii immortales publice consulendi sunt.

404. De Chirone, Achillis magistro.

Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem;
Atque animos placida contudit arte feros.
Qui toties socios, toties exterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem.
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,
Verberibus iussas praebuit ille manus.

405. De Hannibalis ingenio.

Missus Hannibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit: Hamilcarem iuvenem redditum sibi veteres milites credere; eundem vigorem in vultu vimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri. Deinde brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Numquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. Itaque haud discerneres, utrum imperatori, an exercitui carior esset: neque Hasdrubal, qui tum summus dux fuit, alium quemquam praeficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset, neque milites alio duce plus confidere aut audere. Plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par: cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus: vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora. Id, quod gerendis rebus superesset, quieti datum: ea neque molli strato neque silentio arcessita. Multi saepe militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter aequales excellens: arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus

erat. Princeps in proelium ibat, ultimus conserto proelio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia aequabant, inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deum metus, nullum iusiurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum ac vitiorum triennio sub Hasdrubale imperatore meruit, nulla re, quae agenda videndaque magno futura duci esset, praetermissa.

406. Quae in somnis viderit Hannibal.

In Hasdrubalis, a servo quodam obtruncati, locum Hannibal successit. Et ex quo die dux est declaratus, Romanis inferre bellum statuit. Sagunto igitur capto Carthaginem novam in hiberna concessit, tum vere primo Gades profectus Herculi vota exsolvit atque inde ad Iberum duxit. Ibi fama est, in quiete visum esse ab Hannibale iuvenem divina specie, qui se ab Iove diceret ducem in Italiam Hannibali missum: proinde sequeretur neque usquam a se deflecteret oculos. Pavidum primo nusquam circumspicientem aut respicientem secutum, deinde cura ingenii humani, quum, quidnam id esset, quod respicere vetitus esset, agitaret animo, temperare oculis nequivisse eum; vidisse post sese serpentem mira magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum strage ferri ac post insequi cum fragore coeli nimbum. Tum quae moles ea quidve prodigii esset, quaerentem audisse vastitatem Italiae esse: pergeret porro ire, nec ultra inquireret sineretque fata in occulto esse.

407. De Hannibalis per Alpes transitu.

Hannibal ab Druentia ad Alpes pervenit. Tum, quamquam fama prius praecepta res erat, tamen ex propinquo visa montium altitudo nivesque caelo prope

immixtae, tecta informia imposita rupibus, pecora iumentaque torrida frigore, homines intonsi et inculti, animalia animaliaque omnia rigentia gelu, cetera visu quam dictu foediora terrorem renovarunt. Erigentibus in primos agmen clivos apparuerunt imminentes tumulos insidentes montani. Hannibal consistere signa iussit; Gallisque ad visenda loca praemissis postquam comperit, transitum ea non esse, castra inter confragosa omnia praeruptaque quam extentissima potest valle locat. Tum per eosdem Gallos edoctus, interdiu tantum obsideri saltum, nocte in sua quemque dilabi tecta, luce prima subiit tumulos, ut ex aperto atque interdiu vim per angustias facturus. Die deinde simulando aliud, quam quod parabatur, consumpto, ubi primum digressos tumulis montanos laxatasque sensit custodias, pluribus ignibus, quam pro numero manentium, in speciem factis, ipse cum expeditis, acerrimo quoque viro, raptim angustias evadit, iisque ipsis tumulis, quos hostes tenuerant, consedit. Prima deinde luce agmen reliquum incedere coepit. Iam montani ex castellis ad stationem solitam conveniebant, quum repente conspiciunt alios arce occupata sua super caput imminentes, alios via transire hostes. Utraque simul obiecta res oculis animisque immobiles parumper eos defixit. Deinde, ut trepidans in angustiis agmen viderunt, equis maxime consternatis, perversis rupibus iuxta invia ac devia adsueti decurrunt. Tum simul ab hostibus, simul ab iniquitate locorum Poeni oppugnabantur, plusque inter ipsos quam cum hostibus certaminis erat, sibi quoque tendente, ut periculo prius evaderet. Equi maxime infestum agmen faciebant; qui et clamoribus dissonis territi trepidabant et icti forte aut vulnerati adeo consternabantur, ut stragem ingentem simul hominum ac sarcinarum omnis generis facerent. Multosque turba in immensum altitudinis deiecit.

Sed ruinae maximae modo iumenta cum oneribus devolvebantur. Quae quamquam foeda visu erant, stetit parumper tamen Hannibal, ac suos continuit, ne tumultum hac trepidationem augeret. Deinde, postquam interrumpi agmen vidit, decurrit ex superiore loco et quum impetu ipso fudisset hostes, suis quoque tumultum auxit. Sed is tumultus momento temporis, postquam liberata itinera fuga montanorum erant, sedatur; nec per otium modo, sed prope silentio omnes traducti. Castellum inde, quod caput eius regionis erat, viculosque circumiectos capit et captivo cibo et pecoribus per triduum exercitum aluit, et quia nec montanis nec loco magnopere impediebantur, aliquantum eo triduo viae perfecit. — Perventum deinde ad frequentem cultoribus alium populum. Ibi non bello aperto, sed suis artibus, fraude et insidiis est prope circumventus. Fidem atque amicitiam simulabant montani. Hannibal autem cautissimus erat; composito agmine duces eorum sequitur. Primum agmen elephanti et equites erant; ipse post cum robore peditum circumspectans sollicitusque omnia incedebat. Ubi in angustiorem viam et parte altera subiectam iugo insuper imminenti ventum est, undique ex insidiis barbari a fronte, ab tergo coorti comminus, eminus petunt, saxa ingentia in agmen devolvunt. Maxima ab tergo vis hominum urgebat. In eos versa peditum acies et tum ad extremum periculi ac prope perniciem ventum est. Nam dum cunctatur Hannibal demittere agmen in angustias, occursantes per obliqua montani interrupto medio agmine viam insedere; noxque una Hannibali sine equitibus impedimentisque acta est. Postero die, iam segnius intercursantibus barbaris iunctae copiae, saltusque haud sine clade, maiorum tamen iumentorum quam hominum pernicie, superatus. Inde montani pauciores iam et lactrocinii

magis, quam belli more, concursabant modo in primum, modo in novissimum agmen.

Nono die in iugum Alpium perventum est per invia pleraque et errores, quos aut ducentium fraus, aut temere initae valles faciebant. Biduum in iugo stativa habita, fessisque labore ac pugnando quies data militibus; iumentaque aliquot, quae prolapsa in rupibus erant, sequendo vestigia agminis in castra pervenere. Fessis taedio tot malorum nivis etiam casus occidente iam sidere Vergiliarum ingentem terrorem adiecit. Per omnia nive oppleta quum signis prima luce motis segniter agmen incederet pigritiaque et desperatio in omnium vultu emineret, praegressus signa Hannibal in promontorio quodam, unde longe ac late prospectus erat, consistere iussis militibus, Italiam ostentat subiectosque Alpinis montibus circumpadanos campos, moeniaque eos tum transcendere non Italiae modo, sed etiam urbis Romanae; cetera plana, proclivia fore; uno aut summum altero proelio arcem et caput Italiae in manu ac potestate habituros. Procedere inde agmen coepit, iam nihil ne hostibus quidem praeter parva furta per occasionem temptantibus. Ceterum descensus multo difficilior fuit, quam ascensus. Omnis enim ferme via praeceps, angusta, lubrica erat, ut neque sustinere se a lapsu possent, nec qui paulum titubassent, haerere afflicti vestigio suo, aliique super alios et iumenta in homines occiderent.

Ventum deinde ad multo angustiorem rupem atque ita rectis saxis, ut aegre expeditus miles temptabundus manibus retinens virgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset. Natura locus iam ante praeceps recenti lapsu terrae in pedum mille admodum altitudinem abruptus erat. Ibi quum velut ad viae finem equites constitissent, miranti Hannibali, quae res moraretur agmen, nuntiatur rupem inviam esse. Digressus deinde ipse ad locum visendum. Haud

dubia res visa, quin per invia circa nec trita antea quamvis longo ambitu circumduceret agmen. Ea vero via insuperabilis fuit. Nam quum super veterem nivem intactam nova modicae altitudinis esset, molli nec praealtae facile pedes ingredientium insistebant. Ut vero tot hominum iumentorumque incessu dilapsa est, per nudam infra glaciem fluentemque tabem liquescentis nivis ingrediebantur. Tetra ibi luctatio erat. Tandem nequidquam iumentis atque hominibus fatigatis castra in iugo posita, aegerrime ad ipsum loco purgato: tantum nivis fodiendum atque egerendum fuit. Inde ad rupem muniendam, per quam unam via esse poterat, milites ducti, quum caedendum esset saxum, arboribus circa immanibus deiectis detruncatisque struem ingentem lignorum faciunt eamque, quum et vis venti apta faciendo igni coorta esset, succendunt ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. Ita torridam incendio rupem ferro pandunt molliuntque anfractibus modicis clivos, ut non iumenta solum, sed elephanti etiam deduci possent. Quadriduum circa rupem consumptum, iumentis prope fame absumptis; nuda enim fere cacumina sunt, et si quid est pabuli, obruunt nives. Inferiora valles apricosque quosdam colles habent rivosque prope silvas et iam humano cultu digniora loca. Ibi iumenta in pabulum missa et quies hominibus data triduo. Inde ad planum descensum et iam locis mollioribus et accolarum ingeniis. Hoc maxime modo in Italiam perventum est, quinto mense a Carthagine nova, quinto decimo die Alpibus superatis. Quantae copiae transgresso in Italiam Hannibali fuerint, nequaquam inter auctores constat. Qui plurimum, C milia peditum, XX equitum fuisse scribunt; qui minimum, XX milia peditum, VI equitum. Ex ipso quidam audivit Hannibale, postquam Rhodanum transierit, XXXVI milia hominum ingentemque numerum equorum et aliorum iumentorum amisisse e

Taurinis in Italiam degressum. Quanam Alpes transierit, ambigitur; vulgo credunt, Poenino — atque inde nomen ei iugo Alpium inditum — transgressum; Coelius, rerum scriptor haud contemnendus, Hannibalem per Cremonis iugum transiisse dicit.

408 Adversus Hannibalem, toties victorem, hostem tam callidum, non virtute tantum, sed suis etiam pugnare consiliis oportebat. Prima redeuntis et reviviscentis imperii spes Q. Fabius fuit, qui novam vincendi artem commentus est: non pugnare. Hinc illi cognomen novum et rei publicae salutare *Cunctator*. Hinc illud ex populo, ut *Imperii scutum* vocaretur. Itaque sic maceravit Hannibalem, ut qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur.

409. Quo animo fuerint Romani in rebus adversis.

Quum Hannibal post prosperam ad Cannas pugnam redimendi se captivis copiam fecisset, placuit, suffragio ipsorum decem deligi, qui Romam ad senatum irent; nec pignus aliud fidei, quam ut iurarent, se redituros, acceptum. Quum egressi castris essent, minime Romani ingenii homo, velut aliquid oblitus, iurisiurandi solvendi causa quum in castra redisset, ante noctem comites assequitur. Legatis captivorum senatus Romae datus et in utramque partem multum disceptatum est. Quum denique triste responsum, non redimi captivos, redditum esset novusque super veterem luctus tot iactura civium adiectus esset, cum magnis fletibus questibusque legatos ad portam prosecuti sunt. Unus ex iis domum abiit, quod fallaci reditu in castra iure iurando se exsolvisset. Quod ubi innotuit relatumque ad senatum est, omnes censuerunt, comprehendendum et custodibus publice datis deducendum ad Hannibalem esse. Et neque clades, neque defectiones sociorum moverunt, ut

pacis unquam mentio apud Romanos fieret; quo in tempore ipso adeo magno animo civitas fuit, ut Terentio consuli, ex tanta clade, cuius ipse causa maxima fuisset, redeunti et obviam itum frequenter ab omnibus ordinibus sit et gratiae actae, quod de republica non desperasset; qui si Carthaginiensium ductor fuisset, nihil recusandum supplicii foret.

Iustum ac tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
  Non vultus instantis tyranni
  Mente quatit solida neque Auster,
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis:
  Si fractus illabatur orbis,
  Impavidum ferient ruinae.

VOCABOLARIO

LATINO-ITALIANO

DI TUTTE LE VOCI

CONTENUTE NELLE PRIME CENTO PAGINE DI QUEST'OPERA.

AVVERTENZE INTORNO ALLA PRONUNZIA.

a) ogni *dittongo* è lungo per sua natura.
b) una *vocale seguìta da altra vocale* è breve.
c) una *vocale seguìta da due consonanti* è lunga *per posizione.*
d) *le sillabe finali*, che terminano in consonante che non sia *s*, sono brevi.
e) l'*accento* tonico cade sulla penultima, se questa è lunga; sull'antepenultima invece, se la penultima è breve, come *incīdi, íncidi; infīdus, pérfidus, Dārēus* opp. *Darīus; Alcibiădes, mediŏcris.*

A.

ā, ăb, prep. coll'abl., da.
ăbăcus, i, m. tavoletta da scrivere.
abdĭtus, a, um, nascosto.
abdūco,xi,ctum,3. io meno via.
ăbeo, ii, ĭtum, 4. io vado via.
ăberro, 1. cado in errore.
ăbhorrĕo, ui. 2. io sono diverso.
ăbĭes, ĕtis, f. l'abete.
abjĭcĭo, jēci, jectum, 3. io gitto abbasso, atterro.
abnŭo, ŭi, ŭĭtum e *ūtum*, 3. io fo cenno di no, mi rifiuto.
Abŏrīgĭnes, um, m. i primitivi abitatori del Lazio.
abscēdo, cessi, cessum, 3. io vado via, m'allontano, mi scosto.
absens, ntis, assente.
abstĭnĕo, ŭi, entum, 2. io mi astengo.
abstrūsus, a, um, nascosto.
absum, abfŭi, abesse, io son lontano, assente.
ăbundantĭa, ae, f. abbondanza, ricchezza
ăbunde, in abbondanza, in quantità.
ăbundo, 1. ho abbondanza di qualche cosa, abbondo in qualche luogo o in qualche cosa.
ăc, cong., e, come.
ăcădēmīa, ae, f. un ginnasio d'Atene.
accēdo, cessi, cessum, 3. io mi accosto, m'aggiungo.
accĭdĭt, accade.
accĭo, īvi opp. *ĭi, ītum*, 4. io chiamo a me.
accĭpio, cēpi, ceptum, 3. io ricevo, prendo.
accomŏdo, 1. io adatto.
accūrātus, a, um, accurato, diligente.
accurro, curri e *cŭcurri, cursum*, 3. io accorro.
accūsātĭo, ōnis, f. accusa.
ăcer, crĭs, crĕ, agro, veemente.
ăcerbus, a, um, amaro, acerbo.
ăcervus, i, m. ammasso.
ăcesco, ŭi, 3. io inacidisco.
Achillēs, is, m. Achille, il figlio di Peleo e di Teti.
Achīvus, a, um, Achivo; Greco.
Achradāna, ae, f. una parte della città di Siracusa.
ăciēs, ēi, f. ordine di battaglia.
ăcīnăcēs, is, m. sciabola persiana.
acquīro, sīvi, sītum, 3. io acquisto.
actĭo, ōnis, f. azione.
Actium, i, n. nome d'un promontorio.
ăcūlĕus, i, m. pungiglione.
ăcūmen, ĭnis, n. acutezza d'ingegno.
ăd, prep. coll'acc. a, dopo, in, presso.

addīco, ixi, ictum, 3. io aggiudico, consacro.
addo, ĭdi, ĭtum, 3. io aggiungo.
addisco, dĭdĭci, 3. io imparo inoltre.
addūco, xi, ctum, 3. io conduco, apporto.
ădĕo, ĭi (īvi), adĭtum, 4. io vado a.
ădĕo, talmente.
adflŭo, fluxi, fluxum, 3. io scorro a.
ădhĭbĕo, ŭi, ĭtum, 2. io adopero.
ădhuc, fino ad ora, ancora.
ădĭgo, ēgi, actum, 3 io spingo dentro.
ădĭmo, ēmi, emtum, 3. io levo via.
ădĭpiscor, eptus sum, 3. io raggiungo, conseguo.
ădĭtus, us, m. adito.
ādjungo, nxi, nctum, 3. io aggiungo.
ādjūtrix, īcis, f. aiutatrice.
ādjŭvo, ūvi, ūtum, 1. io aiuto.
Admētus, i, m. re dei Molossi.
admĭnistro, 1. io amministro.
admīrābĭlis, e, ammirabile.
admīrātĭo ōnis, f. ammirazione.
admīror, 1. io ammiro.
admitto, mīsi, missum, 3. io ammetto, concedo.
admŏdum, sufficientemente, molto.
admŏnĕo, ŭi, ĭtum, 2. io ricordo, ammonisco.
admŏnĭtĭo, ōnis, f. ammonizione.
adnŭo, ŭi, ūtum, 3. io accenno, fo cenno.
ădŏlescens, ntis, m. giovane.
ădŏlescentĭa, ae, f. adolescenza, giovinezza.
ădŏlescentŭlus, i, m. giovane, giovinetto.
adpello V. *appello.*
adpĕto, īvi (ii), ītum, 3. io aspiro a qualche cosa.
adscrībo, ipsi, iptum, 3. io ascrivo, aggiungo.
adsentātor, ōris, m. adulatore.
adspectus, us, m. aspetto, vista.
adspĭcĭo, exi, ectum, 3. io guardo.
adsto, ĭti, 1. io sto appresso, sono presente.
adsum, fui, esse, io son presente.
adtingo, tĭgi, tactum, 3. io tocco.
adūlātĭo, ōnis, f. adulazione.
ădultus, a, um, adulto.
ăduncus, a, um, adunco.
ădūro, ussi, ustum, 3. io abbrucio.
advĕho, vexi, vectum, 3. io meno a.
advĕna, ae, m. e f. forestiere.
adventus, us, m. arrivo, venuta.
adversārĭus, a, um, avverso, avversario.
adversus, a, um, opposto, avverso, sfavorevole.
adversus e *adversum,* verso, contro.
advolvo, vi, vŏlūtum, 3. io avvolgo.
aedes, is, f. casa, tempio.
aedĭfĭcātĭo, ōnis, costruzione, edifizio.
aedĭfĭcĭum, i, n. edifizio.
aedĭfĭco, 1. io edifico, costruisco.
Aegīna, ae, f. nome di un'isola greca.
aegre, mal volentieri, difficilmente, con fatica.

aegrōto, 1. io sono ammalato.
aegrōtus a, um, ammalato.
Aegyptius, a, um, egizio, Egiziano.
Aegȳptus, i, f. Egitto.
aemŭlātio, nis, f. emulazione.
aemŭlor, 1. io emulo, gareggio.
aemŭlus a, um, emulo, competitore.
Aenēas, ae, nome di un Troiano.
aënĕus, a, um, di bronzo, rame.
Aeŏlus, i, m. il re dei venti.
aequālis, e, eguale.
aequĭpăro, 1. io eguaglio.
aequĭtās, ātis, f. eguaglianza.
aequo, 1. eguagliare, render eguale.
aequor, ŏris, n. superficie del mare.
aequus, a, um, eguale, equo, giusto.
āër, āĕris, m. aria.
aerātus, a, um, fatto, coperto, guernito di rame, bronzo.
āĕrĭus, a, um, aereo.
aes, ris, n. rame, bronzo.
Aeschĭnes, is, m. nome di un oratore Ateniese.
aestas, ātis, f. estate.
aestĭmo, 1. io stimo, reputo.
aestīvus, a, um, estivo.
aestŭo, 1. io ho caldo.
aestus, us, m. ardore, calore.
aetās, ātis, f. vita, età.
aeternĭtas, ātis, f. eternità.
aeternus, a, um, eterno.
Aetna, ae, f. il monte Etna.
aevum, i, n. tempo.
affābĭlis, e, affabile.
affāri, 1. io parlo a qc.
affĕro, attŭli, allātum, afferre, io apporto, adduco.
affĭcĭo, ēci, ectum, 3. io faccio, colmo.
affīgo, xi, xum, 3. io affiggo.
affirmo, 1. io affermo, confermo.
afflātŭs, ūs, m. soffio.
afflīgo, ixi, ictum, 3. io stramazzo, percuoto violentemente, affliggo.
afflŭens, tis, abbondante, ricco.
Afrĭca, ae, f. Africa.
Afrĭcānus, a, um, africano, Africano.
ăgellus, i, m. campicello.
ăger, gri, m. campo, territorio.
Agesilaus, i, m. nome di un re Spartano.
aggĕro, gessi, gestum, 3. io porto a.
aggrĕdĭor, gressus sum, 3. io assalgo.
ăgĭlis, e, agile.
ăgĭtābĭlis, e, agitabile, leggiero, che facilmente è mosso.
ăgĭto, 1. io muovo, agito.
agmen, ĭnis, n. schiera, moltitudine.
agnosco, nōvi, nĭtum, 3. io riconosco.
agnus, i, agnello.
ăgo, ēgi, actum, 3. io conduco, spingo, faccio, porgo, rendo (p. e. grazie).
ăgrĭcŏla, ae, m. agricoltore, contadino.
ăgrĭcultūra, ae, f. agricoltura.
Agrippa, ae, m. nome di un Romano.
ăhēnĕus, a, um, di bronzo, rame.
Ajax, ācis, m. nome di un eroe Greco.
ājo, verb. dif., io dico.
āla, ae, f. ala.

ălăcer, cris, cre, vivace, presto, svelto, gaio, vivo, spiritoso.
ălauda, ae, f. allodola.
albus, a, um, bianco.
Alcibĭădes, is, m. nome di un capitano Greco.
āles, ĭtis, alato; uccello.
Alexander, ri, m. nome di un re di Macedonia.
algĕo, alsi, 2. io ho freddo.
ălĭbi, altrove (di stato in luogo).
ălĭēnus, a, um, d'altrui, estraneo, straniero, sfavorevole.
ălĭmentum, i, n. alimento.
ălĭo, altrove (di moto a luogo).
ălĭquamdĭu, per qualche tempo.
ălĭquando, una volta, qualche volta, talora.
ălĭquanto, alquanto.
ălĭquantus, a, um, alquanto, un poco.
ălĭquis, qua, quod (agg.), *quid* (sost.), alcuno, a.
ălĭquot, alquanti.
ălĭter, altrimenti, in altro modo.
ălĭus a,ud, gen. *alīus,* l'altro, a.
ălĭus — ălĭus, l'uno — l'altro.
allĕvo, 1. io alzo, sollevo.
ălo, ui, altum e *alĭtum,* 3. io nutro.
alter, a, um, gen. *terīus,* l'altro, a.
altercor, 1. io alterco, disputo.
altĭtūdo, ĭnis, f. altezza, profondità.
altus, a, um, alto, profondo.
ălumnus, i, m. alunno.
ămābĭlis, e, amabile.
ămārus, a, um, amaro.
ambāges, is, f. (solit. plur.), giravolta, ambiguità, enigma, incertezza.
ambĭgŭe, ambiguamente.
ambĭtĭo, ōnis, f. ambizione, vanagloria.
ambŭlo, 1, io passeggio.
ămĭcĭo, cŭi, (ixi), ctum, 4. io vesto.
ămīcĭtĭa, ae, f. amicizia.
ămictus, us, m. sopravveste, veste.
ămĭcŭlum, i, n. vesticciuola, mantelletto.
ămīcus, amico (agg. e sost.).
āmitto, mīsi, missum, 3. io perdo.
amnis, is, m. fiume.
ămo, 1. io amo.
ămoenĭtas, ātis, f. amenità.
ămoenus, a, um, ameno.
ămor, ōris, m. amore.
amplector, xus sum, 3. io abbraccio.
amplexus, us, m. amplesso, abbraccio, abbracciamento.
amplĭtūdo, ĭnis, f. ampiezza, grandezza.
amplus, a, um, grande, ampio, magnifico.
ampŭto, 1. io taglio via.
an, particella interrogativa, se, o.
Anaximenes, is, m. nome di un filosofo Greco.
Anchises, ae, m. nome di un Troiano.
ancŏra, ae, f. ancora.
Andrŏmăche, es, f. la moglie di Ettore.
anguis, is, m. e f. serpente.
angustĭa, ae, f. angustia.
angustus, a, um, angusto, stretto, breve, corto.
ănīlis, e, anile, da vecchia, sciocco.
ănĭma, ae, f. aria, alito, anima.
ănĭmadverto, ti, sum, 3. io pongo mente, osservo, scorgo.

ănĭmal, ālis, n. animale.
ănĭmans, tis, animato, vivo.
ănĭmōsus, a, um, animoso.
ănĭmus, i, m. animo, coraggio, spirito, mente, sentimento, intenzione.
Anio, iēnis, m. nome di un fiume.
Annibăl, ălis, m. nome di un generale Cartaginese.
annŭlus, i, m. anello.
annŭo, ŭi, 3. io annuisco, acconsento, fo cenno.
annus, i, m. anno.
annŭus, a, um, annuo, di un anno.
antĕ, avanti, alla presenza, di fronte, per l'innanzi.
antĕa, innanzi, per lo avanti.
antĕcēdo, cessi, cessum, 3. io precedo, vo innanzi.
antĕcello, (ŭi) 3. io avanzo, supero.
antĕfĕro, tŭli, lātum, ferre, io porto innanzi, preferisco.
antĕhac, per lo innanzi.
antenna, ae, f. antenna.
Antenor, ŏris, m. nome di un Troiano.
antĕpōno, posui, posĭtum, 3. io antepongo.
antĕquam, prima che.
antĭdŏtum, i, n. antidoto, contravveleno.
Antigonus, i, m. nome di un re.
Antiochus, i, m. nome di un re.
antīquus, a, um, antico.
Antōnius, i. m. nome di un Romano.
antrum, i, n. antro.
ăper, pri, m. cinghiale.
ăpĕrio, ui, ertum, 4. io apro, scopro, paleso, manifesto.
ăperte, apertamente.
ăpis, is, f. ape.
Apollo, ĭnis, m. nome di un Dio.
appărātus, us, m. apparecchio, preparativo, pompa.
appārĕo, ui, ĭtum, 2. apparire, mostrarsi.
appello, pŭli, pulsum, 3. io mi avvicino, approdo.
appello, 1. io appello, chiamo, parlo a.
appĕto, īvi (ĭi), ītum, 3. io assalgo, appetisco, bramo.
Appius, i, m. nome proprio.
applĭco, 1. (o *ŭi, ĭtum*), io accosto, appoggio, applico.
appōno, pŏsŭi, pŏsĭtum, 3. io pongo vicino, appongo, imbandisco.
ăprīcus, a, um, aprico.
aptus, a, um, unito, ligio, atto, adatto.
ăqua, ae, f. acqua.
ăquĭla, ae, f. aquila.
ărātor, ōris, m. aratore.
ărātrum, i, n. aratro.
arbĭter, tri, m. arbitro, spettatore.
arbĭtror, 1. io osservo, decido, credo.
arbŏr, ŏris, f. albero.
arbŏrĕus, a, um, arboreo, di albero.
Arcădĭa, ae, f. nome di un paese nel Peloponneso.
arcĕo, cŭi, 2. io tengo lontano, vieto.
arcesso, īvi, ītum, 3. io chiamo, fo venire a me.
Archelaus, i, m. nome di un re.
Archimedes, is, m. nome di uu Siracusano.
archĭtectus, i, m. architetto.
Archytas, ae, m. nome di un filosofo.
arcŭs, ūs, m. arco.

ardĕo, si, sum, 2. io ardo, mi abbrucio.
ardor, ōris, m. ardore, calore.
ardŭus, a, um, scosceso, malagevole a salire, arduo.
ărēna, ae, f. arena.
ārĕo, ŭi, 2. io son arido.
Arethūsa, ae, f. nome di una fonte in Sicilia.
argentārĭus, a, um, che riguarda l'argento; banchiere.
argentum, i, n. argento.
Argēus e *Argīvus, a, um*, Argivo.
Argi, ōrum, città nel Peloponneso.
argilla, ae, f. argilla.
ārĭdus, a, um, arido.
Aristīdes, is, m. nome di un Ateniese.
Aristotĕles, is, m. nome di un filosofo Greco.
arma, ōrum, n. armi, armatura.
armārĭum, i, n. armadio.
armo, 1. io armo.
ăro, 1. io aro.
Arria, ae, f. nome di una Romana.
arrĭgo, rexi, rectum, 3. io dirizzo in alto.
arrĭpĭo, ui, eptum, 3. io prendo per me, rapisco, ghermisco.
Arruns, tis, m. nome d'uomo Romano.
ars, tis, f. arte, qualità.
Artaxerxes, is, m. nome di un re Persiano.
Artemisĭum, i, m. nome di un promontorio.
artŭs, ūs, m. membro.
arundĭnĕus, a, um, di canna, piantato a canne.
arvum, i, n. campo arato, campo.
arx, cis, f. cima, rocca.
Ascanĭus, i, m. il figlio d'Enea.
ascendo, di, sum, 3. io ascendo.
ascensus, us, m. ascesa, salita, avanzamento.
ăsellus, i, m. asinello, piccolo asino.
Asĭa, ae, f. Asia.
asper, ĕra, ĕrum, aspro, pungente, rauco, crudele.
aspernor, 1. io disprezzo.
aspicio, V. *adspicio*.
asporto, 1. io porto via.
assentātĭo, ōnis, f. assenso, adulazione.
assentĭor, nsus sum, 4. io assento.
assĕquor, cūtus sum, 3. io raggiungo, conseguo.
assĭdŭus, a, um, assiduo, continuo.
assigno, 1. io assegno, attribuisco, ascrivo.
assuĕfăcĭo, fēci, factum, 3. io abituo.
assuesco, suēvi, suētum, 3. io mi abituo.
asto, V. *adsto*.
astringo, inxi, ictum, 3. io costringo.
astrum, i, n. astro.
Astyages, is, m. nome di un re.
ăsylum, i, n. asilo.
ăt, ma.
āter, tra, trum, atro, oscuro.
Athenae, ārum, f. la città di Atene.
athlēta, ae, m. atleta.
atque, e.
atqui, ma, ma pure, eppure.
ātrāmentum, i, n. inchiostro.
attămen, nondimeno, tuttavia, ma pure.
Attĭca, ae, f. nome di un paese Greco.

Attĭcus, *i*, m. nome di un Romano.
attingo, *tĭgi*, *tactum*, 3. io tocco, arrivo, appartengo, accenno.
attrĭbŭo, *ŭi*, *ūtum*, 3. io attribuisco.
auctĭo, *ōnis*, f. aumento..
auctor, *ōris*, m. autore, consigliere.
auctōrāmentum, *i*, n. paga, mercede, ricompensa.
auctōrĭtas, *ātis*, f. autorità.
auctumnus, V. *autumnus*.
audācĭa, *ae*, f. audacia.
audax, *ācis*, audace.
audĕo, *sus sum*, 2. io oso.
audio, 4. io odo.
audītor, *ōris*, m. uditore.
aufĕro, *abstŭli*, *ablātum*, *auferre*, io porto via.
augĕo, *auxi*, *auctum*, 2. io accresco, aumento.
Augustus, *i*, m. nome di un imperatore Romano.
Aulus, *i*, m. nome d'uomo Romano.
aura, *ae*, f. aria.
aureus, *a*, *um*, aureo, d'oro.
auris, *is*, f. orecchio.
aurītus, *a*, *um*, orecchiuto.
aurōra, *ae*, f. aurora.
aurum, *i*, n. oro.
Ausonĭus, *a*, *um*, Ausonio.
auspex, *ĭcis*, m. auspice, indovino.
aut, o; *aut* — *aut*, o — o.
autem, ma, poi.
autumnus, *i*, m. autunno.
auxĭlĭum, *i*, n. aiuto.
ăvārĭtĭa, *ae*, f. avarizia, avidità.
ăvārus, *a*, *um*, avaro.
ăvēna, *ae*, f. avena, canna.
ăvĕo, 2. io bramo, sto bene.
Avernus, *i*, m. Averno, inferno.
āverto, *ti*, *sum*, 3. io volgo altrove, allontano.
ăvĭdĭtas, *atis*, f. avidità.
ăvĭdus, *a*, *um*, avido.
ăvis, *is*, f. uccello.
ăvŏlo, 1. io volo via.
ăvuncŭlus, *i*, m. zio (materno).

B.

Babylonia, *ae*, f. Babilonia, paese in Asia.
băcŭlus, *i*, m. bastone, scettro.
balbus, *a*, *um*, balbo, che balbetta.
bălĭnĕum, *i*, n. bagno.
barba, *ae*, f. barba.
barbărus, *a*, *um*, barbaro; Barbaro.
beātus, *a*, *um*, beato, felice.
bellĭcōsus, *a*, *um*, bellicoso.
bellicus, *a*, *um*, bellico, di o da guerra.
bellum, *i*, n. guerra.
bĕne, bene.
bĕnĕfĭcentĭa, *ae*, f. beneficenza.
bĕnĕfĭcium, *i*, n. beneficio.
bĕnĕvŏlentĭa, *ae*, f. benevolenza.
bĕnigne, benignamente, amichevolmente.
bĕnignĭtas, *ātis*, f. benignità.
bestia, *ae*, f. bestia.
bestĭola, *ae*, f. bestiuola, animaluzzo.
Bias, *antis*, m. uno dei sette savi.
bĭbo, *i*, 3. io bevo.
bĭdŭum, *i*, n. due giorni.
bīni, *ōrum*, a due a due.
bis, due volte.
Biton, *ōnis*, m. nome proprio.
blandĭtĭa, *ae*, f. adulazione.

blandĭor, 4. io adulo.
blandus, a, um, blando, dolce, piacevole, mite.
Boeotius, a, um, beozio, Beota.
bŏnĭtas, ātis, f. bontà.
bŏnum, i, n. il bene.
bŏnus, a, um, buono.
bōs, bŏvis, c. bue, vacca.
brăchĭum, i, n. braccio.
brĕvis, e, breve, corto.
brĕvĭtas, ātis, f. brevità.
Brĭtanni, ōrum, m. i Britanni.
Brŭtus, i, m. nome di un Romano.

C.

cădāver, ĕris, n. cadavere.
cādo, cĕcĭdi, cāsum, 3. io cado.
caeco, 1. io accieco.
caecus, a, um, cieco.
caedes, is, f. ferita, uccisione, strage.
caedo, cĕcīdi, caesum, 3. io taglio, batto, uccido, metto a fil di spada.
Caesăr, is, m. nome di un Romano.
caelo, 1. io cesello, intaglio.
caestus, us, m. cesto.
caeteri, V. *ceteri*.
caetra, ae, f. piccolo scudo.
Cajus, i, m. nome Romano.
calcar, āris, n. sprone.
calco, 1. io calco, scalpito, tengo in non cale.
calcŭlus, i, m. sassolino, calcolo, voto.
cālīgĭnōsus, a, um, caliginoso, tenebroso, oscuro.
cālīgo, ĭnis, f. oscurità.
